



**R. P. Ildephonsi Peñafiel E' Societate Jesu, Quondam In
Cusquensi Collegio Sacrae Theologiae Primarij
Antecessoris ... Theologia Scholastica Naturalis**

Peñafiel, Alonso

Lugduni, M.DC.LXXIIX.

Qvæstio III. Vtrum relatio prædicamentalis sit idem formaliter eum
fundamento & termino.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-95892](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-95892)

cet esset impossibilis alia albedo ut quatuor existens in Ioanne, nihilominus Petrus haberet illos quatuor gradus albedinis, in quo casu non esset similis formaliter, quia similitudo formalis essentialiter petit aliam albedinem actualiter existentem.

- 211 Deinde respondeo licet possit Deus suspendere concursum ad hanc, vel illam numero relationem, non tamen ad omnem simul: unde semper manebunt similes formaliter duæ albedines ex vi aliarum relationum, ad quas Deus præstat suum concursum, licet suspendat illum ad alias, quæ responsio in alio casu applicatur ab ipso Suarez; nam si interrogem ab hoc Authore, an possit Deus suspendere concursum ad omnes figuras simul, conservata quantitate, vel ad omnes præsentias; Respondet, licet Deus possit suspendere suum concursum ad hanc, vel illam præsentiam, ad hanc, vel illam figuram, non tamen ad omnes simul propter connexionem necessariam quantitatis cum figura: ergo recta est nostra solutio.

SVBSECTIO VLTIMA.

In qua secunda sententia argumenta solvuntur.

- 212 Ad primum nego maiorem, ut patet ex dictis, nam vere mutatur fundamentum intrinsece per resultantiam relationis.
- 213 Ad secundum nego maiorem, ut patet ex supradictis.
- 214 Ad confirmationem distingo maiorem, quæ sumitur ab aliquo tanquam à forma, concedo maiorem; quæ non sumitur ab eo, tanquam à forma, nego; ad minorem distingo, sumitur ab extrinseco tanquam à forma, nego, tanquam à requisito in obliquo connotato, concedo.



QVÆSTIO III.

Verum relatio prædicamentalis sit idem formaliter cum fundamento, & termino?

SECTIO I.

Sententia Adversaria proponitur.

PRIMA sententia asserit, relationem formaliter esse idem cum fundamento, & termino, ita ut mea similitudo v. g. ex æquo includat utramque albedinem, sicut homio ex æquo includit materiam, & formam: hanc sententiam tenet Durandus in primo, distin. 30. quæst. 1. P. Hurtado, in metaphys. disp. 15. sect. 11. Arriaga in log. præd. de Relat.

- 2 Probatur primo auctoritate D. Thomæ opus. 48. tract. 5. de prædicamento ad aliquid, cap. 3. ubi ait, & sic relatio differt à suo fundamento, quia relatio dicit rem sui fundamenti, & oppositum terminum, quem non dicit fundamentum, & sic relatio differt à suo fundamento, quia importat oppositum relativi; sicut enim dicimus, quod totum differt à sua parte, non sicut res à re, sed sicut illud, quod importat plus, quam pars, &c. quibus

verbis dictam sententiam videtur sine tergiversatione docere.

Secundo probatur ratione: relatio non est motus ex natura rei distinctus à suo fundamento, neque est fundamentum solum, nec solus terminus: ergo consistit in utroque formaliter; prima pars antecedentis iam probata manet argumentis adductis pro sententia P. Suarez, secundam partem probat P. Hurt. rationibus, quibus libens supersedeo, quia sunt pro nobis, & non contra nos, sed contra Patrem Suarez.

Tertio probatur, in relatione tacti, quæ est prædicamentalis, quia tangere est ad aliud; sed duo corpora habent relationem tacti præcise per coexistentiam in duobus locis immediatis: ergo relatio formaliter consistit in utroque extremo: pater minor, quia coexistentia duorum corporum in duobus locis immediatis est tactus utriusque: ergo ab illa denominantur tacti: hæc sunt omnia argumenta, quibus innititur horum authorum sententia, omniaque à Patre Hurt. adducuntur, neque aliquid novi addidit P. Arriaga.

SECTIO II.

In qua nostra sententia ponitur, & probatur.

NOstra conclusio: relatio prædicamentalis non est formaliter, & essentialiter æque utrumque extremum, fundamentum videlicet, & terminus: hæc est communis sententia Doctorum, quam ut certam supponunt, & ideo breviter eam probant.

Probatur primo, quia si relatio non distingueretur formaliter à fundamento, & termino, non daretur prædicamentum relationis; sed hoc est absurdum, & contra adversarios: ergo distinguitur formaliter, &c.

Probatur maior primo, quia vel in prædicamento relationis poneretur relatio, quæ fundatur tam in substantia, quam in accidenti; vel solum relatio, quæ fundatur in accidenti; sed non primum, neque secundum: ergo, &c. Probatur minor quantum ad primam partem, & eam concedit Hurt. asserit enim sect. 3. §. 42. relationes substantiales directe pertinere ad prædicamentum substantiæ; indirecte vero ad prædicamentum relationis, & ratio est, quia in sententia adversariorum relationes, quæ fundantur in prædicamento substantiæ intrinsece sunt substantiæ, extrinsece sunt accidentis, sed prædicamentum relationis est accidens intrinsecum: ergo illæ relationes non ponuntur in prædicamento accidentis.

Dices, utramque esse accidens metaphysicum, & sic poni in prædicamento accidentis.

Sed contra, quia esse accidens metaphysicum non tollit, quin una relatio intrinsece, & essentialiter sit accidens, & alia tantum extrinsece, & accidentaliter; sed ex rebus, quæ extrinsece sunt tales, & quæ intrinsece sunt tales, vel participant aliquam rationem intrinsecam, & extrinsecam non potest constitui unum prædicamentum: ergo, &c.

Minor probatur: prædicamentum constituitur ex generibus, & speciebus: sed quando aliqua ita se habent, ut vni conveniat intrinsece aliqua ratio, & alijs extrinsece, non potest dari illis aliqua ratio generica, neque specifica: ergo, &c. Maior constat ex dictis supra in antepædicamento. Probat

Quæst. III. Vtrum relatio sit vtrumque, &c. 705

Probat minor. Ideo ab homine vero, & picto non potest abstrahi ratio univoca, generica, neque specifica hominis, quia vni convenit intrinsece, & essentialiter, & alteri solum quoad figuram, & apparentiam, ac proinde extrinsece, & accidentaliter, & ratio huius est manifesta: quia omnis abstractio supponit convenientiam, non solum materialiter, sed etiam formaliter, convenientia autem est duplex alia adæquata, & alia inadæquata (& loquor de prædicatis essentialibus) convenientia adæquata est similitudo, & convenientia sine dissimilitudine, & disconvenientia in prædicatis essentialibus: v.g. illa, quæ datur inter Petrum, & Paulum, qui non dicunt dissimilitudinem in prædicatis essentialibus: inadæquata est, quæ secum comparatur dissimilitudinem, & disconvenientiam: v.g. illa quæ datur inter Petrum, & Bucephalum; quando autem similitudo, & convenientia est adæquata, vtrumque essentialiter, & intrinsece participat idem prædicatum adæquate idem, inquam, non formaliter sed fundamentaliter, ut Petrus, & Paulus naturam humanam; quando autem convenientia est inadæquata, vtrumque participat inadæquate idem prædicatum modo dicto, hoc est non secundum omnem rationem quo aliud illud prædicatum in se habet.

11 Tunc si relatio fundata in substantia, & relatio fundata in accidente, neque adæquate, neque inadæquate participant eandem rationem accidentis: ergo neque adæquate, neque inadæquate conveniunt in illa ratione: ergo ab illis non potest abstrahi ratio aliqua accidentis, quia alias ab ente reali, & rationis, ab ente intrinseco, & extrinseco posset abstrahi ratio aliqua communis univoca, generica, vel specifica, quod negant adversarij; & ideo non potest abstrahi ratio representativa, aut signi univoca, generica, vel specifica à termino vocali, & mentali, aut à signo ad placitum, & à signo naturaliter representativo: quia vni convenit extrinsece, & alteri intrinsece ratio signi, & representationis: ergo quotiescunque duo ita se habent, ut vni conveniat intrinsece, & alteri extrinsece, aliqua ratio non poterit abstrahi ab illis, ita ut sit generica, vel specifica.

12 Ergo relationes, quæ fundantur in substantia non ponuntur in prædicamento distincto ab ipsa substantia, scilicet in prædicamento accidentis: ergo neque relationes quæ fundantur in quantitate, constituent diversum prædicamentum: patet consequentia, sine necessitate, & urgente ratione non sunt multiplicanda prædicamenta, quia alias posset multiplicari in infinitum: sed nulla datur necessitas, aut vrgens ratio, ut relatio fundata in accidenti constituat diversum prædicamentum: ergo, &c. Probat minor.

13 Quia si aliqua esset ratio, maxime, quod ens relativum non posset poni in prædicamento entis absoluti; sed hoc est falsum: ergo &c. Maior est certa, & si non est talis, assignent adversarij aliam quam certe non assignabunt. Probat minor, relatio, quæ fundatur in substantia est ens relativum: sed secundum adversarios per se ponitur in prædicamento substantiæ quæ est ens absolutum, quia intrinsece est substantia: ergo relatio per se poterit poni in prædicamento entis absoluti, ac proinde ponenda erit relatio, quæ fundatur in quantitate in prædicamento quantitatis, quia intrinsece est quantitas, & quæ in qualitate in præ-

dicamento qualitatibus, &c. ac proinde non dabitur diversum prædicamentum quantitatis: sed potius ruet illud sine dubio.

Deinde, eadem minor sic probatur: distinctio¹⁴ per rationem inter substantiam, & relationem fundatam in substantia non sufficit ad constituendam per se diversam prædicamentam: ergo neque sufficit distinctio inter relationem, & accidentem, in quo fundatur ad constituendam diversam prædicamentam accidentalia, quia non est maior ratio in vno, quam in alio, & si in accidenti sufficit ad constituendum diversum prædicamentum relationis accidentale, sufficit etiam in substantia talis distinctio, ad constituendum diversum prædicamentum substantiale relationis.

Secundo probatur eadem prima, & principalis¹⁵ maior: omne illud, quod constituit diversum prædicamentum ab alio, debet distinguui ab illo saltem per rationem; sed relatio neque per rationem distinguitur ab absoluto: ergo non constituit distinctum prædicamentum; probatur minor eisdem argumentis, quibus adversarij probant suam sententiam, palmus, & semipalmus per suas ipsas entitates præciso quocunque per rationem distincto sunt inæquales: ergo inæqualitas neque per rationem distinguitur à quantitativibus, & idem argumentum fit in albedine præcisa quacunque formalitate rei, vel per rationem ab albedine ut quatuor est similis alteri albedini ut quatuor: patet, similia sunt, quorum qualitas est una; sed tunc præcisa per mentem quacunque formalitate, qualitas illarum fit una: ergo relatio similitudinis neque per rationem distinguitur ab albedine.

Dices albedines illas præcisa per mentem relatione non esse similes formaliter, sed virtualiter, seu materialiter.

Sed contra, quia hoc est incidere in meam solutionem, quam antea tu ipse oppugnabas: nam in mea sententia præcisa relatione realiter ab albedine, illa est fundamentaliter, aut materialiter similis, & sic quidquid contrarij respondeant huic argumento in distinctione per rationem, ego respondeo in distinctione modali ex natura rei, & fortasse probabilius, quia vrgentes sunt rationes, quare si aliquid debes respondere est nec per rationem distingui ab utraque albedine quatenus albedo est, sed utraque albedo est absoluta: ergo etiam relatio erit absoluta, & non respectiva, ac proinde non erit relatio.

SVBSECTIO I.

In qua nostra secunda ratio principalis ponitur.

Secundo sic argumentor: positis eisdem entitatibus, & existentibus illis, quæ modo sunt relata possunt actualiter à parte rei non referri: ergo relatio distinguitur ab entitatibus fundamenti, & termini simul sumptis: consequentia est evidens in principiis Patris Hurt ideo enim ipse colligit contra P. Suarez, relationem distingui à fundamento solum, quia potest dari fundamentum quin detur relatio, & ideo etiam ipse colligit, relationem non distingui ab entitatibus fundamenti, & termini simul, quia positus illis necessario datur relatio. Item hæc consequentia est evidens lumine naturæ ex illo evidentissimo principio,

V u u u c i p i o,

cipio, quæ separantur à parte rei distinguuntur à parte rei; sed ea separantur à parte rei, quæ ita se habent, vt existentibus ijs illa non existant à parte rei, vt patet ex supra dictis: ergo actualiter referri, seu actualis relatio distinguitur ab entitatibus fundamenti, & termini: patet hæc consequentia, quia existentibus fundamento, & termino, seu entitatibus illorum, non referuntur actu, ac proinde non datur actuale referri in illis, quod est actualis relatio; sed hoc modo se habere est relationem separari ab entitatibus fundamenti, & termini: ergo relatio separatur ab illis à parte rei: ergo distinguitur ab eisdem à parte rei.

19 Antecedens, in quo tota est difficultas, sic demonstratur, quia Petrus est Pater Ioannis per relationem paternitatis, & filiationis existentem in ipsis; sed positis, & existentibus eisdem entitatibus Petri, & Ioannis simul, potest non dari in ipsis relatio paternitatis, & filiationis: ergo positis entitatibus, quæ modo sunt relatæ, & modo referuntur, possunt non referri, quia sine actuali relatione non possunt referri; nam actualiter referri seu esse actualiter relatum est effectus primarius formalis relationis, qui non potest dari sine forma relativa adhuc diuinitus. Probat maior: In tantum datur relatio paternitatis inter Petrum, & Ioannem, in quantum Petrus generavit Ioannem; sed possunt dari idem Petrus, & idem Ioannes, quin Petrus generet illum: ergo possunt existere simul, aut coexistere Petrus, & Ioannes, quin existat relatio paternitatis in illis: maior est certissima, minor non est minus certa, quia Deus potest producere vtrumque immediate, sicut produxit Adamum sine eo quod Petrus producat Ioannem; itaque bene potuit Deus ita disponere res, vt Ioannes qui nunc productus est à Petro non productus fuisset ab illo, & Petrus qui produxit Ioannem nunc, non produxisset illum, sed ambo simul, & solum à Deo producti essent.

20 In quo casu eadem existerent entitates Petri, & Ioannis sine generatione vnius ab alio: ergo sine relatione paternitatis Petri respectu Ioannis, & sine relatione filiationis Ioannis respectu Petri, quia non datur relatio sine ratione fundandi: ergo eadem entitates Petri, & Ioannis possunt coexistere sine relationibus, ac proinde distinguuntur entitates coexistentes à relationibus.

21 Dices, ad hoc vt dicatur Petrus pater Ioannis esse necessariam actionem generativam.

22 Sed contra, quia vel illa generatio est necessaria, vt pars relationis, vel vt conditio sine qua non, vel nullo modo est necessaria: sed non primum, neque secundum: ergo tertium; si tertium, adhuc non existente generatione poterit Petrus esse pater Ioannis. Minor illa quoad primam partem sic probatur, si actio generationis esset pars relationis, iam paternitas includeret aliquid distinctum ab entitatibus fundamenti, & termini essentialiter: ergo iam distingueretur relatio ab illis à parte rei saltem distinctione includentis ab incluso, quod est contra ipsos, qui nec formaliter, aut per rationem dicunt distinguunt posse coexistentiam vtriusque extremi à relatione: ergo, &c. secundo, & efficacius, quia implicat quod generatio sit pars essentialis relationis, nam existentibus, & conservatis relationibus paternitatis, & filiationis in Petro, & Ioanne non conservatur, nec permanet actio ge-

nerationis, per quam Petrus produxit Ioannem; sed non potest conservari, & permanere totum sine aliqua parte essentiali, vt videre est in homine, qui non potest conservari sine vniione, vel sine materia, aut forma: ergo generatio non est pars essentialis relationis. Maior est certa, quia generatio non durat toto tempore, quo vivunt Petrus, & Paulus (nam Petrus, & Paulus non conservantur per generationem, per quam fuerunt producti, quia illa generatio erat concursus causæ primæ, & secundæ, & modo non datur talis concursus: sed solus influxus causæ primæ conservativus illorum. Itaque certum est solum Deum conservare substantias, quæ non solum à Deo sunt productæ; vnde transiunt instanti generationis transit actio generativa Petri respectu Ioannis, quia est instantanea, ac proinde solum durat vniico instanti, & loco illius datur actio conservativa à solo Deo, quod pro certo habetur non solum ab adversariis: sed etiam ab omnibus: sed toto illo tempore durat, & datur relatio paternitatis in Petro, & Petrus vere est Pater Ioannis: ergo non conservata actione generativa existit, & conservatur relatio paternitatis: ergo actio generativa non est pars essentialis relationis, quia nihil potest sine illo, quod est sibi essentialiter perseverare. Alia multa dicuntur contra hoc argumentum ab adversariis, quæ late à nobis impugnantur infra sect. 3. sub sect. 2. à §. 2. pars vsque ad sect. ultimam exclusivè; videantur ibi.

Minor quoad secundam partem sic probatur, quia talis solutio est contra P. Hurt. nam eodem modo potest respondere ipsius argumentis P. Suarez, qui dicit, relationem non distingui à solo fundamento, quia tota relatio est albedo existens in Petro: sed requiritur vt conditio Albedo Ioannis, vt denominet simile; item ait, relationem Paternitatis in Petro esse entitatem Petri exigentem pro conditione, & non pro constitutivo formali, & essentiali entitatem Ioannis genitam à Petro. Ecce tua ipsa formalissima solutio; sed impugnas illam acerrime, & ais non solvere difficultates, & bene ais, & meo videri superiori questione à nobis demonstratum est: ergo neque hæc solutio tua solvit argumenta evidentia supra à nobis facta contra Patrem Suarez, quæ æque efficaciter hanc solutionem tuam funditus labefaciunt, ac evertunt solutiones P. Suarez. Vnde omnia illa argumenta debent accommodari cuicumque solutioni, quæ à Patre Hurt. aut Arriaga dari potest. Exempli gratia; entitates coexistentes Petri, & Ioannis non dependent à generatione, tanquam à conditione sine qua non, vel tanquam à requisito essentiali, quia si à solo Deo producerentur, coexistenter eadem entitates, & darentur actus coexistentes ipsæ, quæ nunc habent tales relationes paternitatis, & filiationis, & nihilominus tunc non darentur relationes, quæ modo sunt paternitatis, & filiationis in illis: ergo realiter relationes paternitatis, & filiationis dependent tanquam à conditione, & requisito essentiali à parte rei à generatione, & non dependent illæ entitates Petri coexistentes à parte rei à tali requisito, & conditione generationis; ergo relationes paternitatis, & filiationis distinguuntur realiter, seu ex natura rei ab entitatibus coexistentibus Petri, & Ioannis, quia idem non potest dependere, & non dependere simul realiter ab

Quaest. III. Vtrum relatio sit vtrumque, &c. 707

ab aliquo, & ideo tu probas, relationem, & fundamentum non esse idem realiter contra suatum, quia fundamentum quoad esse seu quoad entitatem, hoc est ut existat, & conservetur à parte rei non dependet à termino, & relatio paternitatis dependet realiter quoad entitatem relationis, hoc est ut sit, & conservetur à parte rei à termino; sed entitates coexistentes Petri, & Ioannis ut conserventur, & dentur à parte rei non dependent à generatione, & relationes paternitatis, & filiationis, ut sint, & existant, dependent à parte rei à generatione Petri in Ioannem: ergo ex tuis principiis evidenter colligitur, relationes paternitatis, & filiationis distinguui à parte rei à termino, & fundamento coexistentibus.

SVBSECTIO II.

In qua tertium argumentum ponitur.

Tertio sic argumentor: relatio est vnum ens per se completum; sed si esset vtrumque extremum æque, non esset ens per se: ergo relatio non est vtrumque extremum. Maior est evidens, quia omne quod per se ponitur in prædicamento, est vnum ens per se completum, & ideo non ponitur populus, exercitus, & numerus, seu quantitas discretæ in vestra sententia, ut patet ex antepædicamentis, & ex argumentis, quæ contra numerum posuimus in prædicamento quantitatis.

Sed relatio prædicamentalis ponitur per se in prædicamento, ut lipis, & consoribus notum est, siquidem vnum integrum prædicamentum distinctum ab alijs est coordinatio relationum prædicamentaliū, ac proinde adæquate, & complete constat ex suis relationibus prædicamentaliū: ergo relatio est vnum ens per se completum.

Minor prima, & præcipua sic demonstratur. Illud non est vnum ens per se, sed per accidens, quod constat ex pluribus entibus completis sine aliqua vnione per se; sed si relatio prædicamentalis, v. g. creatura ad creatorem esset entitas creaturæ, & entitas Dei simul, constaret ex pluribus entibus completis in actu sine vlla propria, & vera vnione per se: ergo relatio prædicamentalis non esset vnum ens per se sed omnino per accidens, si esset vtrumque extremum fundamentum nimirum, & terminus, aut constaret ex illis: ergo relatio non constat ex illis. Maior evidens est, ut patet in numero, in acervo lapidum, in populo, &c. minor quoad primam partem sic probatur: quia entitas Dei, & entitas creaturæ in omni ratione sunt entia completa, & loquor de Angelo, qui absolute, ac simpliciter completus est, ac proinde sub nulla ratione concipi possunt Deus, & Angelus ut quid incompletum; sed talis relatio creaturæ constat ex Angelo, & Deo: ergo constat ex entibus completis simpliciter in actu.

Dices; Angelus, & Deus non sunt incompleti quoad entitatem, sunt tamen incompleti in esse causæ, & effectus, ac proinde in esse relativi sunt incompleti.

Sed contra, quia tunc aliqua causa est incompleta, quando in esse causæ est partialis, & est compar alterius causæ; sed Deus quatenus est causa Angeli non est partialis causa, sed potius totalis, cum totaliter, & adæquate causet Angelum.

R. P. Adaph. de Penafiel Theol. Schol. Tom. I.

lum, neque indigeat ad creandum Angelum alia concausa: ergo non est incompletus Deus in esse causæ, sed potius totalis, & completus. Maior est certa; nam ideo intellectus est causa incompleta in esse causæ, quia est partialis causa indigens concursu speciei impressæ, quia ipse solus non sufficit ad producendam visionem, & sic ex intellectu, & specie impressa coalescit vna causa completa.

Vigetur, quia Deus, & Angelus non ordinantur ad componendam, seu complendam aliam causam, quia nec Deus in quantum causa Angeli ordinatur in esse causæ ad complendam aliam causam, nec Paulus aut Angelus in esse effectus ordinantur ad complendum effectum; sicut Deus non completur in esse causæ per Angelum quatenus effectum illius: quia tunc completur aliquid in esse causæ quando per aliam causam incompletam adiuuatur, & non per illud, quod minime habet rationem causæ, sed potius rationem effectus: v. g. materia non completur in esse causæ hominis per hominem qui est effectus illius, sed per aliam causam partialem, scilicet formam; nec potentia visiva completur per visionem in esse causæ visionis, sed potius per speciem impressam quæ est alia causa partialis, sed Angelus est effectus Dei, & Deus est causa illius: ergo Deus non completur in esse causæ per Angelum, nec Angelus in esse effectus completur per Deum; sed nec per aliam causam completur Deus in esse causæ, & Angelus per alium effectum non completur in esse effectus: ergo falsum est dicere, Deum & Angelum esse incompletos in esse causæ, & effectus: ergo nec in esse relativi; quia in tantum sunt relativi, in quantum sunt causa, & effectus: sed in quantum sunt causa & effectus sunt completa entia: ergo in quantum sunt relativi sunt completi.

Praterea: quia per te Deus, & Angelus quoad entitates proprias sunt entia completa simpliciter; sed secundum suas entitates præciso quocunque alio sunt relativa relatione diversitatis: ergo in esse relativorum sunt completi. Minor hæc sic demonstratur, quia in tantum Deus est diversus à creatura, dissimilis & distinctus ab ea, in quantum Deus est increatus, infinitus per essentiam, actus purus, & infinite perfectus, &c. & creatura est finita per essentiam, limitata, & imperfecta. Itaque creatura præciso quocunque modo ex natura rei distincto ab ipsa creatura est diversa à Deo, & dissimilis ipsi ex vi propriæ finitudinis, limitationis, & imperfectionis, & Deus ex vi talium perfectionum, quas annumeravimus, dicit diversitatem respectu creaturæ; atqui tales perfectiones non conveniunt Deo ratione alicuius distincti à se, sed sunt ipsa entitas, & substantia Dei. Item imperfectiones creaturæ iam supradictæ non conveniunt entitati illius ratione alicuius superadditi, sed potius sunt ipsa entitas, & essentia creaturæ: ergo creatura, & Deus sunt diversi non per aliquid superadditum, sed ratione propriarum entitatum: Vnde si essent incompleti secundum quod relativi, essent incompleti secundum quod diversi, aut tandem essent incompleti secundum proprias entitates, siquidem per proprias entitates sunt diversi.

Consequentia prima & præcipua est manifestata; quia quicquid convenit subiecto ratione prædicati superioris, convenit ipsi ratione prædicati inferioris; sed Deus, & creatura convenit esse

Vuuu 2 comple

completum ratione entitatis: ergo conveniet ipsi ratione talis entitatis, id est relativi; vel aliter clarius, quando respectu alicuius prædicati subiectum est tale, necessarium est tale respectu eiusdem prædicati, ut ex terminis patet; sed ratione propriarum entitatum Deus, & Angelus sunt completi: ergo ratione relationum, vel quatenus sunt relativi, sunt entia completa: quia idem est esse relativum in illis relatione diversitatis, ac esse talia entia, quia per tales entitates, & non per aliud sunt diversi, distincti, & dissimiles, hoc est relativi relatione disquidantia; ratio autem à priori, cur Deo (qui diversus dicitur à vobis relatione diversitatis respectu creaturæ) conveniat ratio completa in omni genere, est manifesta, quia esse ens completum, est perfectio simpliciter simplex, ac proinde perfectio sine imperfectione ex vi præcisa entis completi; sed omnis perfectio simpliciter simplex debet in omni genere convenire Deo, itaque in nullo genere detur perfectio simpliciter simplex, quæ non conveniat Deo: ergo ratio entis completi convenit in omni genere Deo: ergo in genere relativo convenit illi ratio entis completi, ut videre est in relationibus ad intra: nam Pater æternus est completus in esse personæ; sed non est persona absoluta, sed relativa: ergo in esse relativi est completus Pater æternus, quia est perfectio, ratio completi, & contraria ratio est summe imperfecta, & ideo fides catholica absolute definit (cuius oppositum est aperte hæreticum) Deum nullo modo esse partem formalem, materialem, integram, aut in esse naturæ, ut aperte demonstrat P. Suarez tom. 1. in primam p. lib. 1. de essentia Dei, cap. 5. per totum. Idem demonstrat P. Vafq. tom. 1. in prim. p. disp. 22. q. 3. art. 8. n. 27. §. confirmatio articuli, & ratio manifesta est, quia in nullo genere potest esse incompleta entitas; omnis enim pars est incompleta, & ideo nullo modo potest esse pars, quin sit incompleta ratio, quia sicut pars est quæ componit totum, ita incompleta ratio constituit completum, seu componit illud; atqui fides catholica excludit à Deo rationem incompletam, & partialem in ratione materiæ non propter rationem differentialem materiæ, alias non excluderet rationem partis formalis seu rationem formæ, quæ non est materia: ergo excludit illam propter rationem partis ut sic, aut incomplementi, ut sic.

- 32 Dices, excludere rationem partis essentialis, ut sunt materia, & forma.
- 33 Sed contra manifeste; quia etiam excludit fides catholica à Deo rationem partis integralis, ac proinde incompletam rationem integram, quæ non est pars essentialis, imo non convenit cum materia, & forma in alia ratione differentiali, nisi in ratione præcisa universalissima partis ut sic, & incompleti ut sic: ergo non hanc, vel illam rationem incompleti, sed omnem rationem incompleti excludit à Deo, itaque in nullo genere aut in nullo munere possit Deus esse incompletus à parte rei, quia ratio incompleta est imperfectio; quæ in nullo genere potest Deo convenire; sed per vos incomplementum in esse relativi est vera, & propria ratio incompleta: ergo est imperfecta: ergo nullo modo potest concedi Deo ratio incompleta in esse relativi: ergo in esse relativi est completus sine aliquo incomplemento.
- 34 Quod adeo verum est ut si in aliquo munere admisceretur ratio incompleta, non posset Deus exercere tale munus, & ideo non potest Deus exer-

cere munus partis integralis, materialis, aut formalis, quia in tali munere admiscetur ratio partis, & incompleti: ergo si in munere componendi relationem prædicamentalem admiscetur ratio partis, & ratio incompleta per se (de hac enim solum loquimur, quæ necessaria est solum ad componendum unum ens per se prædicamentale, qualem dicitis esse relationem, & ideo non loquimur de incomplemento per accidens, aut de parte alicuius entis per accidens, quia non est ad rem) tale munus non posset convenire Deo, ne Deo conveniret imperfectio simpliciter imbibita in tali munere, & admixta illi: ergo relatio creaturæ ad creatorem aut non est ens per se unum, si componitur ex creatura, & Deo, & si est unum ens per se non componitur per se ex creatura, & Deo, alias Deus erit pars per se, & incompletus per se in aliquo genere, ac proinde imperfectus in illo genere.

Evidentius hoc demonstratur: quia quando si concurrunt in aliquo subiecto duæ denominationes quasi oppositæ subiectum illud non denominatur simpliciter à perfectâ, sed potius ab imperfectiori, ut v. g. quia in homine concurrunt duæ rationes incorruptibiles, materia scilicet, & anima rationalis, & solum concurrens altera ratio corruptibilis, non dicitur simpliciter incorruptibilis propter illas licet principales sint respectu hominis; sed potius dicitur absolute, ac simpliciter corruptibilis ab unione, quæ minus principalis est respectu hominis. Item quia in capite, manu, aut pede dantur duæ rationes, seu denominationes, altera completi, aut totius essentialiter (totum enim essentialiter, & completum est caput, quia constat ex materia prima, & anima rationali, & ideo caput essentialiter non componit hominem, quod clarius videtur in digito, pede, & manu, sine quibus non solum divinitus, sed etiam naturaliter conservatur totus homo essentialiter, seu tota essentia completa hominis) altera incompleti, aut partis integralis, absolute, & simpliciter dicuntur partes, & incomplete rationes sine aliquo addito, & ideo dicimus, caput est pars hominis, & digitus est incompleta ratio illius; imo ut caput vocemus totum, & completam rationem, debet esse per aliquod additum, scilicet essentialiter, & ratio à priori est, quia bonum ex integra causa, malum autem ex quo cunque defectu; unde cum in omni genere manus, & caput non sint completa, licet in principali genere sint talia, absolute incompleta nominantur; sed licet Deus essentialiter sit completus, nihilominus est per se incompletus per vos quatenus componit relationem, quæ est unum ens per se: ergo ab hac ratione debet simpliciter, & absolute vocari incompletus, & non simpliciter, & absolute completus: sicut v. g. si Deus haberet quancunque etiam minimam ignorantiam, aut corruptibilitatem, non deberet vocari simpliciter, & infinite sapiens, & incorruptibilis, sed potius corruptibilis, & ignorans, quia bonum ex integra causa, malum autem ex quo cunque defectu; sed secundum nostram fidem catholicam, ut patet ex Concilio Lateranensi, cap. firmiter, de summa Trinitate, & fide Catholica, & ex Concilio Reimensi contra Gilbertum Porret, & ex Leone Papa epistolâ 91. aliis 93. ad Toribium, & ex multis sacrarum Scripturarum locis, stat, Deus est simpliciter, & absolute completus, itaque absolute non possit dici incompletus, aut pars alicuius: ergo minime est incompletus in aliquo genere, sive relativo, sive absoluto, Minor illa prima

Quæst. III. Vtrum relatio sit vtrumque, &c. 709

prima quoad secundam partem,

36 Scilicet quod nulla detur vnio per se inter extrema relativa prædicamentaliter, sic probatur; quia vel illa vnio realis est idem, ac ipsæ entitates, Dei videlicet, & creaturarum, vel aliquid distinctum ab illis. Si est idem, quod ipsæ entitates: ergo non fit ens per se per illam vnionem, quia si entitates ex se non faciunt vnum ens per se, nec illa vnio faciet; cum illa vnio sit idem ac ipsæ entitates; nam quod non facit aliquid, non facit idem.

37 Item, quia semper vnio distinguitur ex natura rei à terminis unitis, ut ipse Hurtado fatetur: ergo relatio convenientiæ inter Petrum, & Paulum secundum essentias non solum sunt ipsæ entitates Petri, & Pauli coexistentes, sed aliquid aliud distinctum ab illis, quod est expresse contra Hurtado, qui sic probat, relationem nihil addere supra entitates coexistentes Petri, & Pauli, quia præciso quocunque alio inquit Hurtado, distincto ab essentijs Petri, & Pauli, ipsæ essentia, & entitates illorum conveniunt essentialiter, quia sicut Paulus est homo essentialiter præciso quocunque alio à sua essentia, ita Petrus est homo, etiam præciso quocunque distincto ab eo; sed hoc est dicere relationem: ergo præciso quocunque, &c. unde superflua est quæcunque vnio ad tales relationes convenientiæ: ergo relatio in tua sententia sunt solum duæ essentia completæ in esse essentia sine aliqua vnione per se: ergo relatio est ens per accidens, & non vnum per se, siquidem coalescit ex duobus entibus completis sine aliqua vnione per se.

Dices, ad hoc ut aliquid sit ens omnino per accidens non solum debere coalescere ex duobus completis sine vnione, sed etiam ex duobus diversorum prædicamentorum.

38 Sed contra manifeste: quia licet relatio convenientiæ non coalescat ex duobus entibus diversorum prædicamentorum, nihilominus relatio diversitatis, quæ datur inter quantitatem & substantiam, qualiter & ubi, coalescit ex rebus completis diversorum prædicamentorum: ergo talis relatio est omnino per accidens.

39 Secundo sic patet manifeste secunda pars illius minoris præcipue, quia per se relatio creaturæ ad Creatorem, aut effectus ad causam, aut diversitatis, & dissimilitudinis coalescit ex creatura, & Deo; sed inter Deum, & creaturam nullam aliam vnionem physicam per se cognoscit fides Catholica, nisi vnionem hypostaticam inter Verbum Divinum, & naturam humanam Christi Domini: ergo talis vnio per se inter Deum, & creaturam nullo modo est concedenda, sed potius ut fictitia rejicienda, quia nihil novi debet introduci, non solum in re ipsa, sed quoad modum loquendi circa Deum, quod non contineatur in sacra Scriptura definitum sit à Concilijs, traditum sit à Patribus, & sanctis Doctoribus Ecclesiæ, quia in re tam gravi sine huiusmodi luce nec latum vnguem debemus pedem movere; sed nec Sancti, nec Scriptura, nec Concilia, nec Theologi cognoscunt aliquam per se vnionem (præter hypostaticam dictam) inter Deum, & creaturam: ergo nullo modo est concedenda, ac proinde tales relationes coalescent ex creatura, & Deo sine aliqua vnione per se.

40 Quod denuo sic probatur; quia non solum vna, sed pene infinitæ relationes, effectus videlicet convenientiæ, & disconvenientiæ dantur creaturæ ad Deum: nam lapis v.g. dicit relationem effectus ad

Deum, & etiam relationem convenientiæ ad ipsum, quatenus lapis est substantia: Item dicit relationem disconvenientiæ; quia lapis est corpus, & sic de cæteris: ergo si relatio petit vnionem per se inter extrema relata dabitur inter Deum, & creaturam infinitæ vniones per se essentielles, & accidentales, quia vnumquodque accidens creaturæ distinctum ab alio, dicit relationem distinctionis, & diversitatis ad perfectiones, & attributa divina.

Item inter supposititalitatem creatam, & supposititalitates divinas dabitur quam plurimæ vniones per se: quia inter tales supposititalitates, aut personalitates dantur quamplurimæ relationes convenientiæ, & disconvenientiæ.

Sed concedere tot, ac tantas vniones per se est inaudicum, & meo videri, aut hæreticum, aut erroneum, aut minimum tenerarium; quia sine sufficienti fundamento, & contra communem sensum Doctorum asseritur ad minutias relationis defendendas inaudito modo res, & incommoda tam indecentia Deo, ex quibus ingentia inconvenientia oriuntur.

Verbi gratia quod quæcunque creatura sit adoranda adoratione latræ; nam si propter vnionem hypostaticam adoratur Christus Dominus aut humanitas eius, quia vnitur, aut habet vnionem ad Deum per se: ergo lapis, qui vnitur per se non solum vna vnione per se, sed innumeris adorandus erit.

Urgetur, quia si Crux ex eo quod contactum habuit ad Christum Dominum non propter vnionem per se, sed propter contactum solum adoratur adoratione latræ, à fortiori lapis, qui in vestra sententia vnitur per se infinitis vnionibus non cum humanitate Christi, sed cum ipso Deo immediate, adorari deberet in vestra sententia, quod est summum absurdum.

Præterea, quia species sacramentales, quia habent talem vnionem ad corpus Christi adorantur, & sanctæ vocantur: ergo creaturæ omnes adorabuntur propter vnionem ad Divinitatem per se.

Tandem, quia Deus est sanctitas essentialiter: ergo si vnitur animæ rationali, aut Angelo, sanctificabit illam, & Angelum. Imo expellet ab anima peccatoris omnem maculam peccati, nec desinet villo modo ex vi talis vnionis per se animam hominis esse in peccato, sed potius impecabilem reddet illum; sed per vos ad componendam relationem prædicamentalem convenientiæ & disconvenientiæ, effectus & creaturæ, omnis anima rationalis vnitur per se cum essentia Divina: ergo sanctificatur talis anima (multo magis, ac perfectius, quam sanctificatur per vnionem ad gratiam habitalem) & reddetur impecabilis absolute, quod est summum absurdum, & aperte contra fidem catholicam.

Urgetur amplius, quia quotiescunque duæ substantiæ vniuntur per se tanquam incompletæ in aliquo genere, resultat vnum ens per se substantiale; sed Deus, & creatura in genere relativo sunt duæ substantiæ incompletæ, & vniuntur per se: ergo substantialiter vniuntur: ergo ex eis coalescit vna substantia per se: ideo enim ex materia, & forma resultat vnum per se substantiale essentialiter compositum, quia materia, & forma ex quibus coalescit sunt duæ substantiæ incompletæ essentialiter, aut in genere essentiali, & vniuntur per se, & ideo ex capite, manibus, & pedibus

Vuuu 3 bus

bus coalescit vnum ens per se substantiale, quia manus, caput, pedes, &c. sunt partes in genere integrali incompletæ, & vniuntur per se quatenus tales; sed omnia elementa, & mixta, omnes cæli, & Angeli; item Deus sunt substantia, & in genere relativo per vos incompletæ, & per se vniuntur; ergo substantialiter per se vniuntur, quia omnis vnio inter substantias quatenus substantias, est vnio substantialis; quia vnio sequitur res, quarum est vnio. Vnde vnio inter materiam, & formam, inter partes substantiales integrales, inter naturam substantialem, & suppositiuitatem, est sine dubio, & sine controversia vnio substantialis, quia tales entitates sunt substantiales; sed essentia omnium creaturarum dictarum, & essentia Dei quatenus tales essentia præcise quocunque alio distincto sunt relativa, & componunt relationem dictam convenientiam, disconvenientiam, &c. & ad talem relationem componendam vniuntur per se; ergo talis vnio est substantialis, quia tales essentia quatenus essentia, & quatenus componunt relationem sunt substantia.

48 Ergo ex Deo, & ex omnibus creaturis fit vnum ens per se substantiale, ac per se vna substantia: sicut ex materia, & forma, ex partibus integritatibus, ex natura, & personalitate fit, & resultat vna per se substantia.

49 Hæc adeo summa, & ingentia absurda sunt, vt omnes Catholicas aures sine dubio terreant. Confirmatur, quia omnis vnio est in ordine ad compositionem: ergo si Deus vnitur per se in ordine ad constituendam relationem, sine dubio componet per se illam; sed omnis compositio adæquate dividitur in compositionem essentialem, integram, & hypostaticam, aut suppositivalem: ergo Deus aliqua ex ijs debet componere relationem; sed non suppositivalem, vt de se patet, nec integraliter: quia pars integralis non est de essentia totius, & essentia illius potest salvari sine aliqua parte integrali, vt hominis essentia saluatur sine brachio, & essentia quantitatis sine vna parte integrali; sed essentia relationis nullo modo potest salvari sine aliquo ex extremis, ac proinde vtrunque extremum essentialiter petit: ergo Deus, qui est terminus relationis creaturæ, componet sine dubio relationem essentialiter; sed omnis pars essentialis aut est materia, aut forma: ergo Deus aut est materia, aut forma talis compositionis: sed apertè definitum est in Concilio Lateranensi, cap. *damnamus*, Deum minime componere, neque vt materiam, neque vt formam: ergo Deus minime essentialiter componit relationem.

50 Declaratur amplius, quia relatio non debet esse entitas simplex per se supposito quod coalescit ex duobus entibus: ergo est composita; sed non per aliquam vnionem, vt patet ex dictis: ergo sine vnione: ergo non est composita per se, etiam si vtrunque extremum sint entia incompleta: sicut v. g. ex materia prima, & anima rationali D. Petri non coalescit vnum ens per se, quia nulla datur nunc vnio per se inter illas, etiam si sint entitates incompletæ.

51 Item, quia per vos ex accidenti, & substantia non resultat vnum ens per se; sed ex accidenti, & substantia resultat relatio diversitatis: ergo talis relatio, quæ resultat ex illis non est ens per se.

52 Vltimo; ad addendam maiorem vim his argu-

mentis sic insurgo, quia inter materiam primam, aut inter animam Petri, & ipsum Petrum datur relatio disconvenientiæ aut dissimilitudinis in ratione completi, & incompleti, quod clarius sine vlla æquivocatione patet in anima quacunque rationali, & Angelo; è contra vero vnus Angelus cum alio in ratione completorum maxime convenit, & assimilatur, dicuntque relationem convenientiæ, & dissimilitudinis, quæ necessario requirit ad hoc vt sit talis, vt Angeli sint completi, quia talis convenientia est illorum, quatenus sunt entia completa, imo non conveniunt, si non essent entia completa tali genere relationis seu convenientiæ, prout distincta à relatione, quæ datur inter incompleta, v. g. inter duas animas rationales, aut inter duas materias primas, quarum convenientia, & relatio requirit, necessario esse entia incompleta: ergo relatio similitudinis, aut convenientiæ Angelorum quatenus sunt completi, petit necessario, & essentialiter vt talia extrema sint completa formaliter; sed talia extrema, quatenus talia, & in quantum conveniunt in esse completorum componunt necessario talem relationem convenientiæ completorum, quæ distinguitur à relatione disconvenientiæ completi, & incompleti, & à relatione duorum incompletorum: ergo compositio talis relationis formaliter, & in actu exercito petit, vt composita sint completa formaliter quatenus completa: ergo talis compositio relationis non est compositio per se, & rigorosa, sed potius omnino per accidens, ac proinde totum compositum, quod est relatio, non erit vnus ens per se rigorosum, sed potius omnino per accidens: hæc consequentia exemplis demonstratur. Ideo acervus lapidum, exercitus, & numerus, hic in tua sententia, illa in omnium, sunt entia omnino per accidens, & non per se, quia compositio illorum petit vt extrema componentia, quatenus componentia in actu exercito sint entia completa in actu, & idem est de vnio, qui componitur ex Deo, & creaturis, & è contra ideo homo est vnum compositum per se, siue essentialiter, siue integraliter, quia compositio illius petit vt extrema talis compositionis, vel quæ componunt tale compositum sint in actu exercito entia incompleta, & minime completa actu.

Sed compositio relationis convenientiæ duorum completorum, quatenus completorum petit necessario, & in actu exercito, vt extrema, quæ talem relationem componunt, quatenus componunt illam, sint entia completa in actu omnino, & per se, quod sic patet. Quia in tantum duo Angeli componunt talem relationem, in quantum conveniunt, quia in tantum componunt talem relationem, in quantum sunt relativa vel fundant talem relationem, illam nostro modo concipiendo, & fundant illam quatenus conveniunt, ac proinde componunt relationem quatenus conveniunt; sed conveniunt tali convenientia, de qua nunc loquimur (etiam si aliàs per alias convenientias etiam conveniant in reliquis prædicatis essentialibus, aut accidentibus) quatenus sunt entia completa formalissime; quia si non essent entia completa, non convenirent tali convenientia, vt de se patet: ergo quatenus sunt entia completa formalissime componunt talem relationem convenientiam.

Ergo talis compositio relationis convenientiæ duorum completorum non est per se, sed per accidens, ac

Quæst. III. Vtrum relatio sit vtrumque, &c. 711

ac proinde relatio, quæ componitur, non erit ens per se; sed per accidens. Ratio autem à priori huius conclusionis est, quia vnum completum omnino non indiget per se alio; ergo non petit per se aliud: ergo quando illi aliud completum adiungitur non per se illi adiungitur; ergo per accidens illi adiungitur, ac per consequens per accidens illi vnitur; quia idem est adiungi, & vni: unde vnio non erit per se; sed per accidens inter illa: ergo vnum, quod resultat ex illis non erit per se; sed per accidens; sed vt componatur relatio convenientiæ duorum completorum, est necesse vt vnum adiungatur, seu vnatur alteri completo: ergo talis compositio est per accidens.

Deinde ex his omnibus demonstro, falsam esse solutionem aduersariorum, nimirum relativam, vt relatio semper esse incompleta in esse relativorum, quia vt iam diximus, convenientia, vt convenientia in esse completorum sunt relativam, vt relatio; sed convenientia vt convenientia in casu à nobis posito non sunt incompleta, sed completa formalissime: ergo relativam vt relativam in eo casu sunt incompleta formalissime.

SVBSECTIO III.

Quartum argumentum ponitur.

Varro sic argumentor, vnum relativum est oppositum realiter suo termino, & ipsa relatio est oppositio realis, per quam constituitur relativum in esse oppositi, à parte rei respectu termini: ergo relativum formaliter, & relatio non est idem, quod fundamentum, & terminus: sed aliquid distinctum à parte rei à termino. Antecedens est certissimum, vt patet ex D. Thoma 1. p. quæst. 28. art. 2. in corpore; vbi sic ait: respondendo dicendum, quod ex eo, quod aliquid alicui attribuitur, oportet quod attribuantur ei omnia, quæ sunt de ratione illius; sicut cuiusque attribuitur homo, oportet, quod attribuantur ei esse rationale; de ratione autem relationis est respectus vnius ad alterum secundum quem aliquid alteri opponitur relative: cum igitur in Deo realiter sit relatio, oportet, quod realiter sit ibi oppositio, relativam autem oppositio in sui ratione includit distinctionem: unde oportet quod in Deo sit realis distinctio, non quidem secundum rem absolutam, quæ est essentia, in qua est summa unitas, & simplicitas: sed secundum rem relativam.

Explicans autem amplius ad primum, respectu cuius datur distinctio in vna relatione, ait esse respectu alterius relationis, quatenus est terminus talis oppositionis relativæ: verba D. Thomæ hæc sunt, & similiter licet paternitas sit idem secundum rem cum essentia divina, & similiter filio: tamen hæc duo in suis proprijs rationibus important oppositos respectus; unde distinguuntur ad invicem; vbi Angelicus Doctor ex oppositione, quam habet relatio vt sic (provt abstrahit à creatura, & increata) respectu sui termini, propter quam distinguitur relatio à suo termino, evidenter convincit paternitatem in Divinis opponi realiter filiationi, quia est terminus talis paternitatis, ac proinde distingui à parte rei ab illa: in quo procedit D. Thomas eo

modo, quo D. Anselmus, quando dixit, in divinis omnia sunt vnum, vbi non obviat relationis oppositio; quæ verba protulit lib. de processione Spiritus Sancti, cap. 3. vbi etiam distinctionem divinarum personarum probavit ex oppositione relationis vt sic, quæ reperitur inter Patrem, & Filium, &c. ergo sine dubio dicendum est, vnum relativum, & vnam relationem opponi realiter relationi oppositæ, & termino, quam oppositionem expresse docuit Aristoteles predicam. de ad aliquid, & lib. 3. met. cap. 4. dum divisit oppositionem vt sic in quatuor species celebres oppositionis, contradictoriam nimirum, privativam, relativam, & contrariam; de qua divisione late egit D. Thomas 1. p. quæst. 7. de potentia, art. 10. & super lib. 1. o. met. Aristotelis, c. 7.

Ratio autem huius oppositionis consistit in hoc, quod relativum vt sic, & terminus habent inter se talem habitudinem, & conditiones ita distantes, vt necessario requirant inter se distinctionem; nam relativum est id, quod aliud respicit, terminus autem est id, quod respicitur ab alio, atque ita ex proprijs rationibus requirunt alieitatem, vt sic dicam; hæc autem oppositio inter relationem, & terminum solet vocari oppositio terminativa, vt distinguatur ab alia oppositione quæ datur inter ipsas relationes, quæ non consistit in hoc, quod semper vna relatio respiciat aliam, vt terminum; sed in hoc quod vna respiciat vt terminum id, quod est fundamentum alterius; & è converso, seu quod idem est, quia habent oppositas rationes: nam vna refert suum subiectum ad aliud, alia vero è contrario refert illud aliud ad id, quod erat subiectum alterius; ex quo talem inter se habent repugnantiam, vt non possint ambæ relationes vni, & eidem simul inesse, quia non potest vnum, & idem esse fundamentum, & terminus respectu eiusdem simul: unde idem non potest esse pater, & filius simul respectu eiusdem; hanc oppositionem vocavit D. Thomas quæst. 7. de potentia, art. 8. ad 4. formalem oppositionem; nam est inter proprias formas, quatenus se mutuo excludunt ab eodem subiecto; & hæc solet etiam relati-va, & non terminativa vocari: unde eadem entitas relationis potest habere cum altera, & oppositionem terminativam, & relativam, vt postea dicemus.

Itaque non potest dubitari, quin tota relatio, & totum relativum opponantur realiter cum suo termino; quod expresse docent præter D. Thomam, & Anselmum Concilium Toletanum 1. in confessione fidei, vbi ex oppositione relationis realis vt sic colligit oppositionem divinarum relationum, ac proinde distinctionem à parte rei inter illas; idem docet Concilium Nicenum, cuius testimonium citat Bessar. cap. 6. sua orationis, ex lib. ad Ablanum, quod asseruit expresse Augustinus lib. 3. de Trinitate, cap. 4. Nazianzenus oratione 1. Ioannes Theologus ex sententia Græcorum Patrum, & præsertim Gregorij Nazianzen. in Concilio Florent. sess. 18. post medium, & ideo Concil. Toletanum sic ait, quod Pater est non ad se: sed ad Filium, & quod Filius est non ad se: sed ad Patrem est; vbi duo indicat: primum oppositionem inter Patrem, & Filium, ita vt Pater secundum totum esse Patris, quatenus tale opponatur filio; & è contra, secundum vt pater, secundum quod Pater est, distinguatur à filio, quo probatum manet Antecedens principale.

Consequentia

- 57 Consequentia prima, & præcipua, in qua est difficultas, sic demonstratur: quia oppositio inter duo non potest esse utrumque extremum oppositum ratione illius oppositionis; sed relatio est oppositio realis, vera, & propria inter Patrem, & filium v.g. ergo talis relatio v.g. Paternitas non est utrumque extremum oppositum ratione paternitatis. Maior sic probatur inductione: nam oppositio contradictoria inter duo v.g. inter hominem, & non hominem non potest esse utrumque extremum formaliter, scilicet homo, & non homo, ita ut oppositio, qua homo opponitur non homini sit non solum entitas hominis, sed etiam formaliter non homo, qui est negatio hominis. Item nullus sanæ mentis potest dicere oppositionem, qua formalissime opponitur privatio formæ non solum esse ipsam privationem, sed etiam formalissime ipsam formam; quia certissimum est, oppositionem ex parte privationis ad formam minime includere ipsam formam ut partem constitutivam talis oppositionis, sed potius totaliter, & adæquate per se solam opponi privationem formæ, & non per se, & per formam formæ: sicut albedo non opponitur nigredini propria oppositione contrarietatis, aut adæquate aut inadæquate per ipsam nigredinem, sed solum per propriam entitatem. Itaque in vnoquoque opposito respectu alterius nihil aliud est oppositio adæquate, & totaliter, nisi repugnantia quæ datur in vno opposito respectu alterius. Unde privatio, aut albedo non opponuntur suis oppositis per ipsa opposita.
- 58 Quod sic demonstro evidenter: Nam si vnum oppositum opponeretur alteri per alterum oppositum, v.g. tenebræ per lucem, ipsi luci, & calor frigiditati per ipsam frigiditatem, idem sibi opponeretur, quod est maximum absurdum. Nam si aut idem non potest distingui à seipso realiter, ita imò à fortiori non potest sibi ipsi realiter opponi, nec ut quo, nec ut quod: quia oppositio realis includit essentialiter distinctionem realem.
- 59 Sequela illa sic manifeste demonstratur: quia quando aliqua opponuntur alicui propter aliquam rationem, non solum illa opponuntur tali extremo, sed etiam formalissime opponitur tali extremo ratio illa propter quam opponuntur ea: v.g. quia tenebrosus opponitur luminoso propter tenebras, non solum opponitur id, quod est tenebrosus luminoso, sed à fortiori, & magis opponuntur luminoso ipsæ tenebræ, & quia aqua frigida opponitur igni calido contrarie, non solum ipsa aqua, sed à fortiori, & magis opponitur frigiditas aquæ, quæ est ratio, propter quam aqua opponitur calori, & igni calido; ut patet ex illo evidentissimo axioma: propter quod vnum quodque tale, & illud magis. Item si homo opponitur equo propter rationalitatem, à fortiori opponitur rationalitas equo, & si peccator ratione peccati opponitur gratiæ, à fortiori ipsum peccatum opponitur gratiæ: ergo si vnum oppositum v.g. tenebræ opponitur luci propter ipsam lucem, & ratione lucis formaliter, à fortiori ipsa lux sibi realiter opponetur, ac proinde à se realiter distinguetur; sed hoc est impossibile: ergo impossibile est, quod vnum oppositum opponatur alteri ratione illius: ergo vnum oppositum quatenus oppositum non est utrumque extremum, sed potius quid omnino, & adæquate distinctum ab altero termino opposito, ac per consequens

oppositio vnius oppositi respectu alterius, v.g. tenebrarum respectu lucis, peccati respectu gratiæ, non erant tenebræ, & lux, peccatum, & ipsa gratia, sed potius ipsa ratio tenebrarum, & sola adæquate ipsa malitia peccati. Nam si oppositio formalis lucis ad tenebras esset lux, & essent tenebræ, lux constitueretur in esse opposita tenebrarum per entitatem lucis, & per ipsas tenebras simul adæquate, & inadæquate per ipsas tenebras: ergo inadæquate opponeretur lux tenebris per tenebras, ac proinde aliquid opponeretur illi per ipsum aliud, ac proinde idem sibi ipsi opponeretur realiter, & per consequens à seipso distingueretur realiter, quod est falsissimum: ergo oppositio vnius ad aliud non includit utrumque extremum oppositum, sed tantum se habet ex parte oppositi cum adæquate distinctione respectu alterius, ac proinde nec concretum ex tali oppositione v.g. pater erit pater, & filius simul generans, & genitum, sed potius erit tantum generans cum relatione paternitatis adæquate distincta ab ipso filio, & genito.

Ratio autem à priori videtur esse, quia oppositio ut sic nihil aliud est quam repugnantia, seu antypatia, aut capacitas, quæ datur in vno opposito ut destruat totaliter aliud, ita ut nihil illius remaneat simul cum opposito, sed totaliter, & adæquate expellatur à subiecto, in quo est alterum oppositum secundum id, quo formalissime pugnant, & opponuntur: v.g. oppositio, quæ datur in morte respectu vitæ, & in cæcitate respectu visus est quædam repugnantia, antypatia, seu capacitas, ut mors destruat totaliter vitam, & in cæcitate, ut destruat totaliter visum.

Dixi, secundum id, quo formaliter pugnant, &c. quia aliqua opposita non se adæquate destrunt, ut frigiditas non adæquate destruit calorem, sed solum gradus illos caloris, secundum quos formaliter pugnat utrumque oppositum; sed talis repugnantia, ut destruat suum oppositum, non potest adæquate, aut inadæquate includere alterum sibi oppositum formale, alias seipsum destrueret, & expelleret; imò à contrario sensu, nunquam vnum contrarium expelleret aliud, aut destrueret illud; quia vnum contrarium est ipsum, & aliud contrarium per vos, sed idem non se destruit, nec adæquate, nec inadæquate, id est totum non se destruit totaliter, nec aliquam partem sui, nam si aliquam partem sui destrueret totum, totum se ipsum destrueret, quod est impossibile, cum nihil destructionem propriam intendat, sed vnum oppositum est totum coalescens ex utroque extremo opposito, v.g. si contrarium est idem, quod albedo, & nigredo, & oppositum privativum sunt tenebræ, & lux. Oppositum completum contrarium erit totum quoddam ex natura sua coalescens ex albedine, & nigredine, ex frigiditate, & calore: ita ut totum illud solum sit complete, & perfecte contrarium, & vnaquæque ex illis qualitatibus non sit oppositum completum, sed potius incomplete oppositum: sicut complete homo non est materia, neque forma, sed compositum ex utraque; atqui totum non potest destrui aliquam partem sui, ac proinde non potest contrariari illi: ergo non potest albedo destrui vilo modo à contrario, ex quo evidenter sequitur nullum habere contrarium, siquidem de ratione contrarii est, ut sit destructivum, & destruat sibi oppositum.

Dices, totum non destrui partem, nec coalescere.

Quæst. III. Vtrum relatio sit vtrumque, & c. 713

cens ex albedine, & nigredine destruere nigredinem, ac proinde nigredinem non opponi contrarie composito illi ex albedine, & nigredine coalescenti (alias natura ipsa sibi contraria esset, & se destrueret, quod est absurdum: Nam si albedo esset contraria toti, destrueret totum, & totum destrueret suam partem; sed natura petit, vt pars conservet totum, constituat illud, componat, & non destruat ipsum. Item natura totius requirit, vt totum non destruat suam partem, alias se ipsum destrueret, ac proinde natura sibi contrariaretur) sed potius nigredinem opponi albedini, ac proinde nigredinem destruere albedinem, & contra sicut, v. g. frigiditas non contrariatur alicui composito ex ipsa, & calore: sed solum calori.

63 Sed contra primo manifeste, quia non potest exercere aliquod munus, nec in actum secundum se reducere aliquod subiectum si sit incomplete constitutum in actu primo proportionato tali actui secundo, v. g. non potest homo intelligere actum, nisi completus sit in esse intellectivi, &c. sed destruere vnum aliud, aut expellere ipsum est actus secundus oppositionis: ergo quod non est complete, & adæquate oppositum complete, & adæquate constitutum in esse oppositi, non potest destruere, aut expellere aliud quod est se reducere ad actum secundum oppositionis; quod patet exemplo adversariorum; ideo enim ipsi asserunt, calorem vt tria non posse expellere frigiditatem vt tria, quia calor in tribus gradibus, aut in illo statu non est complete constitutus in ratione oppositi cum frigiditate, aut respectu illius: quando autem constituitur ab octavo gradu, quia complete constitutus est in esse contrarij, potest exercere munus, seu actum secundum talis oppositionis, hoc est expellere, & destruere frigiditatem vt octo.

46 Tunc sic, sola frigiditas non est complete, & adæquate oppositum respectu caloris, quia oppositum, vt oppositum completum neque est frigiditas, nec calor divisum, & vna quatenus distinguitur ab alia: sed potius vtraque simul: ergo frigiditas nullo modo potest destruere calorem, aut expellere illum.

65 Secundo contra evidentius, quia per se frigiditas non potest destruere totum illud coniunctum aut coalescens ex frigiditate, & calore, ne natura sibi contrarietur, & eadem res destruat id quod intendit componere, quod esset vestigijs Penelopis insistere; sed si frigiditas destrueret calorem, sine dubio frigiditas destrueret totum coalescens ex illa: quia totum destruitur ad destructionem cuiuscunque partis: ergo frigiditas non potest destruere calorem.

66 Exemplo manifestatur, si anima rationalis destrueret suam vniorem, aut materiam primam, sine dubio destrueret hominem compositum ex illis; sed frigiditas destruit calorem per vos, qui est pars compositi: ergo necessario destruit compositum ex calore; sed nullo modo potest frigiditas destruere compositum, quod componit, ne componat, destruat, & non destruat; ergo frigiditas non destruit calorem, nec calor frigiditatem.

67 Sed est certissimum calorem vt octo destruere frigiditatem vt octo: ergo natura non ita constituit res, vt frigiditas, & calor component vnum compositum quod sit complete, & adæquate oppositum, quia ex rebus repugnantibus

R. P. Ioseph. de Penafiel Theol. Schol. Tom. I.

non potest coalescere vnum, nam vt ait sapientia Patris; regnum in se divisum desolabitur, si partes eius opponantur, & destruantur ad invicem; quod idem est, ac alibi dicitur, si ad invicem pugnat, videte ne ad invicem consumamini: ergo oppositum quod secundum veritatem philosophicam est vnum, non est coalescens ex frigiditate, & calore: sed solum erit entitas caloris per repugnantiam, & capacitatem quam habet, vt destruat frigus.

Quod sic demonstro, quia sola frigiditas, & sola gratia sanctificans duntaxat per id, quod est gratia sanctificans, & frigiditas, destrunt calorem, & peccatum, & non destruit gratia peccatum per se, & per peccatum, & frigiditas non destruit calorem per se ipsam, & per calorem, alias calor per se ipsum destrueretur, & peccatum per ipsam rationem peccati: ergo sola frigiditas adæquate est opposita calori, sicut sola gratia est opposita peccato, ita vt nullo modo opponatur frigiditas per calorem ipsi calori; patet hæc consequentia; quia cui soli convenit actus secundus, soli convenit actus primus, vt quia intellectui convenit intelligere, & non voluntati, convenit illi soli, & non voluntati esse intellectum, & quia soli calori convenit calefacere, & non convenit frigiditati, soli illi convenit esse calorem, & non frigiditati; sed frigiditati solum, & adæquate convenit actus secundus oppositionis contraria, scilicet expellere, & destruere calorem, & minime convenit calori destruere se ipsum aut se ipsum expellere: ergo soli frigiditati convenit adæquate actus primus talis contrarietatis, scilicet esse oppositam calori.

Vnde asserendum est inter duo opposita, v. g. frigiditatem, & calorem non esse vnam solum numero realiter oppositionem contrariam; sed potius duplicem, ita vt frigiditas per vnam oppositionem distinctam opponatur calori, & per aliam distinctam à parte rei opponatur calori frigiditati: sicut Petrus per vnam distinctionem distinguitur à Paulo, & per aliam distinctam distinguitur Paulus à Petro.

Minor prima præter iam supra, probatur his, 70 quia idem non potest esse pater, & filius respectu eiusdem; sed necessario si Petrus, v. g. est pater Pauli, non potest simul esse filius respectu eiusdem Pauli: ergo ratio Patris, & Filij inter se habent incompatibilitatem, repugnantiam, & antypathiam in eodem subiecto respectu eiusdem termini, ratione cuius se expellunt ab eodem subiecto: ergo habent veram, & propriam oppositionem ratio Patris, & Filij, quia vera, & propria oppositio consistit in vera repugnantia, antypathia, & incompatibilitate duarum rationum in eodem subiecto respectu eiusdem; ideo, enim contradictoria habent veram oppositionem quia habent veram repugnantiam, & incompatibilitatem, vt sint in eodem subiecto respectu eiusdem; & idem est de oppositione privativa; sed ratio Patris, & Filij, aut paternitas, & filia- tio ita repugnant vt omnino sint incompatibiles in eodem subiecto respectu eiusdem termini, vt vna destruat aliam, & minime reperiatur cum alia: ergo tales relationes habent veram, & propriam oppositionem.

Consequentia illa prima sic demonstratur, 71 quia quando convenit aliquibus aliquod prædicatum, non ratione differentiarum; sed prop-

X x x

166

ter rationem communem, tale prædicatum convenit etiam omnibus participantibus illam rationem communem secundum illud principium Logicae, dici de omni; hoc est quidquid convenit superiori, convenit omni contento sub illo, participantique talem rationem communem; de quo latius egi supra: sed oppositionibus contrariis, quæ reperiuntur inter frigiditatem, & calorem, inter albedinem, & nigredinem, convenit non includere utrumque extremum, ut supra probatum manet, & hoc non propter differentiam contrarietatis, alias hoc non conveniret oppositioni privativæ, quæ contraria oppositio non est, neque contradictoriae oppositioni propter eandem rationem, ut lumine naturali evidenter patet: ergo frigiditati quatenus opposita respectu caloris convenit non esse oppositam respectu caloris per calorem, non propter rationem contrarietatis, sed propter oppositionem ut sic; atqui paternitas, seu ratio patris habet in se veram rationem oppositionis ut sic respectu filiationis, aut filij; ergo rationi paternitatis quatenus opposita filiationi, & filio convenit vere, & proprie non includere in suo esse filiationem, & filium: ergo paternitas non est utrumque extremum, entitas nimirum patris, & entitas filij.

SVBSECTIO IV.

In qua hæc tertia ratio magis confirmatur.

⁷² Primo, quia privatio in tantum est opposita luci, in quantum est carentia lucis: sed in quantum est carentia lucis non includit lucem in esse carentiæ; ergo de primo ad ultimum privatio in quantum opposita luci non includit ipsam lucem in constitutione ipsius oppositionis, sed solum connotat lucem, ut extremum extrinsecum, quod potest destrui per ipsam carentiam lucis; Item frigiditas in tantum est contraria calori, oppositaque illi, in quantum tali differentia frigiditatis repugnanti omnino differentia caloris constituitur, ac proinde in tantum frigiditas erit opposita calori, in quantum habet esse frigiditatis, sed in esse frigiditatis non constituitur formaliter per calorem; ergo in esse opposita calori non potest constitui per calorem formaliter cui opponitur: sicut, quia homo differt ab equo per rationale non potest differre ab equo per id, quod est in equo, ita ut per esse equi constituatur in rationali per quod differt ab equo; & ratio à priori est, quia differentia est propria differentiis, & nihil illius est in eo à quo differtur per illam; alias differentia esset communis utrique, quod est contra evidens axioma metaphysicum, nimirum subiecta non differre per communia, sed per propria uniuscuiusque differentis, ac proinde non dari communionem in differentiis; sed unum oppositum non solum differt, aut distinguitur ab alio opposito, sed maxime distinguitur, maxime differt, & maxime distat ab illo, quatenus oppositum illi; ergo in esse oppositi, per quod formaliter opponitur alteri, maxime differt, & maxime distinguitur ab illo, non constituitur formaliter, & essentialiter per illud, cui opponitur; sicut homo non potest constitui essentialiter in esse hominis per irrationale, ita ut irrationale sit de essentia hominis; quia homo in esse hominis, & per esse ho-

minis constituitur in esse oppositi respectu irrationalis, & opponitur tali irrationali; sed ratio patris, aut paternitas est opposita realiter respectu filiationis, aut filij ut geniti, ita ut per paternitatem pater opponatur relative genito, & filiationi; ergo pater in esse patris non constituitur per filiationem, aut per esse genitum formaliter; quia pater per esse patris formaliter maxime differt, maxime distinguitur vere, ac proprie opponitur relative esse filij, esse geniti, aut filiationi.

Secundo evidenter utgeo, Paternitas in divinis quæ quia pater constituitur in esse Patris non est idem, quod persona Patris, & persona Filij simul, ita ut non distinguatur paternitas à generate, & genito realiter, sed potius secundum nostram fidem paternitas divina distinguitur realiter à filiatione, & filio, neque constituitur formaliter à filiatione, & filio, neque constituitur formaliter paternitas in esse paternitatis à generate, & genito simul formaliter: ergo similiter paternitas creata non constituitur formaliter in esse paternitatis per generate, & genitum, ita ut formaliter nihil aliud sit paternitas nisi generate, & genitum, hæc consequentia sic patet.

Primo propter rationem quæ probavimus ⁷⁴ quæst. superiori, conclus. 2. relationem non esse denominationem extrinsecam, quia relatio creata est participatio; v. g. paternitas paternitatis divine secundum illud Pauli ad Ephes. 3. huius rei gratia flecto genua mea ad patrem Domini nostri Iesu Christi, ex quo omnis paternitas in cælis, & in terra nominatur. Unde Dionysius de divinis nominibus, cap. 2. inter medium, & finem, Damascen. lib. 1. fidei, cap. 9. post medium, colligunt rem, & nomen paternitatis, & filiationis à Deo derivatum esse ad creaturas, cuius veltigij insistent (Apostoli nimirum) Cyrillus lib. 12. thesauri, cap. 5. post medium, colligit, nos esse patres per imitationem, quia Creatorem imitatur, per imitationem inquit, quæ suum Creatorem imitantur, Patres dicuntur, quia ipsum vero Deum, & Patrem primo, & c. alij autem Patres (inquit Teodoretus) sive sint corporales, sive spirituales, è superis traxerunt appellationem, à Deo nimirum, qui vere est Pater, qui non ab alio hoc accepit, sed ipse alijs impetit, quod videtur transulisse, aut transcripsisse ex verbis Dionysij, ubi supra; qui sic ait: divinam omnem Patris, ac Filij rationem à prima, & Patris, & Filij ratione, quæ ab omnibus secreta est, & nobis donatam esse, &c.

Atqui omnis ratio participata participat rationem prædicati divini formaliter eo modo, quo est divinam excepta infinita perfectione talis prædicati, cuius non est capax prædicatum creatum, aut ratio participans, quod late probavi locum citato; sed relatio divina non est utrumque extremum; ergo relatio creata, quæ participat talem relationem divinam, non erit utrumque extremum, sed potius aliquid intrinsecum ex parte relati distinctum à termino, & à relatione illius; hæc consequentia sic probatur: quia relatio divina non habet ex vi infinitæ perfectionis non includere utrumque extremum (Nam relatio transcendentalis creata, licet non habeat infinitam perfectionem, etiam non includit in suo conceptu utrumque extremum) sed propter communionem conceptum relationis abstractentem ab infinita, & finita relatione; & ratio evidens à priori est: quia relatio ut sic ex vi suæ essentia est cuius totum suum esse est ad aliud, ita ut quidquid est

Quaest. III. Vtrum relatio sit vtrumque, &c. 715

in relatione, sit distinctum à termino, quia est aliud ab ipso, unde terminus ex vi definitionis relationis vt sic non potest constituere formaliter relationem; quia terminus debet esse adæquate extra relationem, ac proinde distinctus adæquate à toto esse relationis, cum terminus sit aliud à toto esse relationis; quia relatio (vt dixi) est cuius totum esse est ad aliud, id est ad terminum.

76 Deinde relatio vt sic ex vi sui conceptus opponitur adæquate termino, & constituit vnum extremum, vt oppositum termino, ac proinde terminus ratione oppositionis vt supra probauimus, non potest includi in constitutione formaliter relationis, aut alterius extremi relativi sibi oppositi. Itaque diuina relatio ex vi conceptus relationis vt sic, quatenus est tota ad aliud, & quatenus opponitur termino non includit ipsum terminum, & per consequens non est vtrumque extremum, sed relatio creata est vera, & propria relatio, & includit in se verum conceptum ordinis, & relationis vt sic; ergo totum esse illius est ad terminum, tanquam ad aliud cum oppositione respectu illius: ergo relatio creata, sicut diuina non includit in sua constitutione formaliter terminum suæ habitudinis, ac proinde formaliter non erit vtrumque extremum: quia vbi est eadem ratio formalis, est idem effectus, vel quasi effectus formalis, sed in creata relatione datur eadem aut similis ratio formalis propter quam relatio diuina non includit terminum in sui constitutione, videlicet esse ad terminum, tanquam ad aliud, & oppositio cum termino: ergo in tali relatione creata datur idem effectus, vel quasi effectus, scilicet quod in sua constitutione formali non includat terminum, ac proinde non sit formaliter idem quoad vtrumque extremum.

77 Dices, ideo Paternitatem diuinam, non includere vtrumque extremum, quia est transcendentalis respectu Patris ex eo quod constituat personam Patris in esse talis, & sic non aduenit personæ constitutæ, quod non est proprium relationis diuinæ; sed omnis relationis transcendentalis, etiam creata in quo distinguitur talis relatio à relatione prædicamentali. Vnde si Paternitas non constitueret personam in esse personæ, sed quasi resisteret, aut adueniret personæ constitutæ, esset quasi prædicamentalis, & non transcendentalis vocaretur, & sic esset vtrumque extremum.

78 Sed contra manifeste; quia spiratio actiua est vera, & realis relatio, & supponit personam plenè constitutam in ratione personæ, neque ad hanc constitutionem vllò modo necessaria est, ideoque solum intelligitur, existere quatenus ex operatione, seu productione aliqua talis personæ iam constitutæ consequitur; quod his verbis docet P. Suarez, secundum doctrinam catholicam; at vero spiratio est in Deo, quasi per resultantiam quandam, seu indirectam consequentiam. Quia talis relatio non est per se in Deo absque interuentu alicuius processionis, in quo differt à Paternitate. Et ratio differentie est, quia Paternitas est proprietas constituens personam primam, ideo secundum esse suum anteverit omnem processionem seu productionem, quia prior est constitutio personæ, quam operatio, seu productio; & ideo talis relatio non est quasi resultans, &c. spiratio autem actiua quasi resultat, & non constituit personam: ergo relatio spirationis actiue non est transcendentalis, sed ad modum prædicamentalis.

R. P. Adolph. de Peñafiel Theol. Schol. Tom. I.

Quod amplius patet, quia relationes personales, quæ sunt transcendentales, non habent proprium fundamentum in quo quasi nantur, quia per se intrinsece subsistentes sunt, & constituunt personas, & non supponunt illas, vt eis adueniunt, sed spiratio actiua, quia personæ iam subsistenti incommunicabiliter aduenit, illam supponit vt proximum fundamentum suum, in quo quasi resultat posito termino per spirationem, seu productionem Spiritus sancti, quæ est quasi ratio fundandi talis relationis spirationis actiue: ergo non est transcendentalis, aut quasi transcendentalis, sed potius ad modum prædicamentalis.

Tunc sic; hæc relatio spirationis actiue, quæ est in Patre, & Filio, non includit in sui constitutione Spiritum sanctum, (qui est terminus talis relationis) tanquam partem constitutivam sui formaliter; nam esset hæreticum dicere, relationem spirationis actiue esse idem formaliter quod Pater, Filius, & Spiritus sanctus; ita vt componatur ex principio spirante, & ex Spiritu sancto: ergo omnes relationes in diuinis tam transcendentales, quam prædicamentales excludunt à suo esse formalis, neque componuntur in illo à termino: ergo non est proprium relationis transcendentalis excludere terminum à sua constitutione formalis: ergo est commune hoc relationi transcendentali, & prædicamentali: ergo conuenit illis ratione relationis, & ordinis vt sic; sed relatio etiam prædicamentalis creata est vera, & propria relatio, ac verus, & propius ordo: ergo participat à relatione quasi prædicamentali diuina, hoc quod est excludere terminum à sui constitutione; quia quidquid conuenit alicui ratione prædicari communis, participatur ab ipsis, quæ conueniunt in tali prædicato.

Secundo contra, quia ideo relatio transcendentalis non includit terminum, quia opponitur termino; sed etiam relatio prædicamentalis opponitur termino: ergo non includit illum in sui constitutione, licet connotet illum, vt extremum sibi oppositum.

Vigetur, quia relatio prædicamentalis est, cuius totum suum esse est ad aliud: ergo ex definitione constat terminum esse aliud à tota relatione, cum dicatur, cuius totum esse est ad aliud: ergo nec adæquate, nec inadæquate terminus est relatio, id est pars relationis: patet consequentia, quia si terminus saltem inadæquate esset relatio, id est pars illius, non totum esse relationis esset ad aliud: Nam terminus esset aliquid relationis, & non esset ad terminum, vt ad aliud; alias terminus esset ad terminum, vt ad aliud, ac proinde idem esset ad se, vt ad aliud, ac proinde vt ad distinctum à se, quod est impossibile: quia idem non distinguitur à se ipso: ergo aliquid esse esset in relatione, quod non esset ad aliud: ergo non totum, aut omne esse relationis esset ad aliud; sed ex definitione totum esse relationis prædicamentalis est ad aliud: ergo terminus non est aliquid esse relationis prædicamentalis, neque pars illius, ac per consequens non constituitur à termino, nec formaliter erit idem, quod fundamentum, & terminus formaliter.

Xxxx. 2 SVBSE

SVBSECTIO V.

In qua Neoterici cuiusdam solutio refutatur.

- 83 Quidam modernus in Logica disp. 12. sect. 9. num. 42. hæc verba profert (vt nostra argumenta labefaceret): dixi supra in Patre æterno similem duplicem relationem reperiri, & idem est de alijs personis inter se, vnam transcendentalem sibi omnino intrinsecam, eo quod in divinis productione activa, à qua ea relatio provenit, est intrinseca producenti, vt ostendi supra, alteram prædicamentalem, partim intrinsecam ab ipso Patre provenientem, & partim extrinsecam à Filio desumptam: sic ille, quæ verba profert, vt respondeat huic obiectioni: ergo etiam relatio Patris componitur extrinsece ex ipso Filio, quod videtur absurdum.
- 84 Hanc obiectionem his verbis diluit; respondeo Patrem sumi dupliciter, vel vt est causa generans, & vt sic denominatur quidem extrinsece à sola tamen generatione, quæ est in filio: quod idem est in alijs causis, quæ denominantur causantes à sola actione existente in effectu, non vero ab ipso effectu, quia hic non est pars causalitatis; vel sumi posse Patrem, vt relativum prædicamentalem, & vt sic fateor illum denominari inadæquate à Filio, & à generatione: sicut vnum simile denominatur ab alio, quomodo dixi supra probabile esse in Patre æterno similem duplicem relationem, &c. sic ille. Vbi in persona Patris ponit duplicem paternitatem, aut duplicem relationem generantis ad genitum; aliam prædicamentalem, & aliam transcendentalem; & in Filio duplicem aliam filiationem, sicut in Spiritu Sancto aliam duplicem, quod amplius explicat hic author eadem disp. 12. logica sect. 4. num. 15. his verbis. Obijcies, Pater æternus refertur ad Filium divinum relatione prædicamentali (vt dicam sect. 3.) & tamen illa relatio non est distincta à Patre æterno, nequit enim esse, quin sit Pater: ergo falsum est, omnem relationem prædicamentalem esse distinctam à subiecto, aut posse ab illo abesse. Respondeo Patrem æternum (vt infra etiam dicam) referri ad Filium duplici relatione: vna transcendentali quæ est illi essentialis, alia vero prædicamentali: hæc autem distinguitur inadæquate à Patre, neque illi est essentialis adæquate, quia Filius, à quo desumitur inadæquate non componit Patrem.
- 85 Hucusque author supra dictus, vbi non solum ait, dari quatuor relationes reales originis, & productionis ad intra, quibus se personæ respiciant; sed potius ponit alias plures, quas vocat prædicamentales convenientes personis ratione processionum, & productionum, &c.
- 86 Contra hanc opinionem de novo inventam argumentor primo ab inconvenienti hac demonstratione Theologica, quia omne novum tam quoad modum loquendi, quam quoad rem ipsam, quod non solum non continetur in Scriptura, traditur à Concilijs, docetur à Sanctis Patribus, & affirmatur à Theologis: sed quod caput est, quando pugnat contra receptam sententiam omnium Patrum, & scholasticorum est fugiendum à viro Catholico, minimeque affirmandum à Theologo in rebus fidei, & præcipue in mysterio Trinitatis: sed sententia hæc non solum non contine-

tur in Scriptura, Sanctis, & Doctoribus: sed potius noviter opponitur communi sensui Doctorum, & Patrum circa mysterium Trinitatis: ergo omnino fugienda, & refellenda est à Catholico, neque affirmanda à Theologo.

Maiores prima, & præcipua probatur primo auctoritate sanctorum Patrum, qui univertim asserunt tum de omnibus mysterijs fidei, tum vel maxime de Trinitate loquentibus opus esse cautissima, prudentissima, & temperatissima modestia, ne levi quidem mutatione vocis, recedendo à modo loquendi Scripturæ, & antiquorum Patrum ansum tribuat errandi catholicis. Quæ docet expresse D. Dionysius de divinis nomin. cap. 1. in principio; omnibus Theologis prædictam legem denunciando his verbis: sit quoque nobis illa divinorum scriptorum ante præscripta lex, vt veritatem doceamus eorum, quæ de Deo dicuntur, non imperscrutabilibus virtutis Theologorum, verbis, sed in ostensione virtutis humanæ sapientie, quæ agitatur à spiritu: omnino igitur non audendum est quidquam de summa, abstrusaque divinitate aut dicere, aut cogitare, præter ea quæ nobis divinitus scripta divina enuntiaverunt, & paucis interiectis debemus, inquit, eatenus ad supera contendere, quatenus divinorum scriptorum radius se ipse effert, ita duntaxat, vt ad superiorem splendorem moderatione, & reverentia, quam rebus divinis debemus, coarctemur: sic Dionysius.

Auribus vsurpare nunc aureum os Augustini non dicam aureis, sed gemmeis verbis huic veritati fulgentissimum luminis splendorem mirum in modum offundens lib. 10. de civit. cap. 23. post medium, vbi agens potissimum de mysterio Trinitatis sic ait, liberis verbis loquuntur Philosophi, nec in rebus ad intelligendum aurium pertinebant. Nobis autem ad certam regulam loqui fas est, ne verborum licentia de rebus quæ his significantur impiam gignat opinionem, & lib. 1. de Trinit. 3. sub initium, maxime inquit in ijs, vbi quæritur unitas Trinitatis, Patris, & Filij, & Spiritus Sancti, quia nec periculosius alicubi erratur, nec laboriosius aliquid quæritur, &c. quid clarius, & evidentius.

Damasceus etiam lib. 1. fidei, cap. 2. in fine, ait, non igitur fieri potest, vt præter illa, quæ divinitus sacra nobis, & veteris, & novi testamenti enunciantur eloquia, quæve dixerunt, & manifestantur quippiam eloquamur de Deo, aut penitus intelligamus. Basil. lib. de Spiritu Sancto, ad Amphiloc. cap. 1. monet, & ex professo probat, ac docet, ad veram mysterij Trinitatis cognitionem opus esse non modo syllabas: sed etiam nutus, & eorum significationem observare diligenter, modumque loquendi ad Sacros Canones componi debere; & post multa concludit: si ex lege, nec vnum tota nec apex vnus præteribit, quomodo nobis tutum fuerit, vel minutissima transijisse sic ille.

Hieronymus epist. 57. ad Damasum, de hypostasi-90
bus diligenter, ac solite discuit istius vocis
usum, & significationem, & post medium ait
non bonæ suspensionis est, cum in eodem sensu
verba dissentiant; ac proinde maxime timer
Dor maximus, ne venenum sub melle lateat, &
Satanas se transfiguret in Angelum lucis. Vnde
ab omnibus scolasticis recipitur quod magister
ex Hieronymo retulit 4. sent. dist. 13. sine, & ex
eodem

Quæst. III. Vtrum relatio sit vtrumque, &c. 717

codem Hieronymo sanctus Thomas affert 1. p. q. 2. art. 2. in corpore, ex verbis inordinate prolati incurratur hæresis: hoc diligenter quæsitum, & investigatum secundum formalia, & expressa verba non reperitur apud Hieronymum, neque in proprijs, neque in suppositiis operibus, potuit tamen aliquis id colligere ex epist. 57. nuper citata, vel ex commentario Hieronymi in Ecclesiastem, cap. 5. sub initium, ad illud; multas curas sequuntur somnia, & in multis sermonibus invenietur stultitia; nam exponit, debere verba nostra esse moderata; sicut enim qui in multis cogitationibus est, ea somniat frequenter de quibus cogitat; ita qui plura voluerit de divinitate disserere, incidit in stultitiam, nulla vero deterior stultitia, quam novitas loquendi sine fundamento in re gravi.

91 Nazianzenus orat. 26. omnem novitatem dicendam circa mysteria fidei, sobrietate, modestia, & humilitate expellendam esse docet his verbis: ego certe humilitatis, ac modestiæ laudem huic deum tribuerim, non qui de seipso pauca, idque apud paucos, & raro commemorat, nec qui inferiorem humiliter affatur, sed qui parce, ac moderate, de Deo loquitur, ac quædam proloqui, quædam premere, & retinere quorundam etiam incertitiam, fateri novi: (& longe inferius) verba ea, quibus simul cum lacte imbutus es, mordicus retine, sermonis autem, & disputationis curam eruditioribus manda, hoc est, nihil innova circa ea, quæ Patres Ecclesiæ, eruditiores, & sapientiores te scriptis tradiderunt.

92 Secundo probatur autoritate Scripturæ propterea Patribus, & Concilijs explicata, in qua prohibetur novitas devians à communi modo loquendi, & curiosa investigatio, atque scrutatio rerum divinarum nulla divina lucis face præveniente, aut nulla stella duce à Deo in hunc finem missa, medijs Doctoribus, atque magistris fidei.

93 Proverb. enim 25. sic dicitur; qui scrutator est maiestatis, opprimeretur à gloria, & Ecclesiast. 3. post medium, altiora te ne quæsieris, & fortiora te ne scrutatus fueris; quod amplius explicat D. Paulus, 1. Corinth. 2. quæ sunt Dei nemo novit, nisi Spiritus Dei ex quo sic argumentor: ergo quæ sunt Dei, nullus debet docere, nisi Spiritus Dei, aut ductu illius, ac proinde nemo debet loqui de illis, nisi verbis, & modis, quibus Deus in Scriptura, & Doctoribus loquitur.

94 Cuius rationem mirabilem tradidit Concilium Nizenum lib. 2. multo propius ad medium, quam ad finem, ubi quintam responsionem earum, quas dedit per Eusebium, ita incipit: ne quæras o philosophæ, alioquin studes, te præcipitem agere præservari tetans quæ inscrutabilia sunt: sic Concilium, nam si creatos spiritus, & animæ nostræ substantiam, imo & corporis constitutionem, & ea quæ manibus contrectamus, non penetramus, nec intelligimus nisi ruditer, & crassa Minerva, & dum de illis rebus loquimur sine duce, multis implicamur erroribus, quanto magis timendum nobis est, dum de rebus divinis sine duce pro nostro libito, ut nova solum proferamus sermonem miscemus; Sixtus Papa secundus epist. 1. ad Gratum Episcopum (habetur tom. 1. Conciliorum) ad confirmandam hanc veritatem in medium proferit verba illa Job. cap. 28. sapientiam Dei vnde invenies? latet enim ab oculis hominum, & à volueribus Cæli absconsa est: Clemens Romanus epist. 1. ad Iacobum fratrem Domini col. 10. addit, Deum à nobis discutien-

dum non esse, qui in nobis ipsis nescimus quod sapimus, quomodo mens nostra generat verbum, qua propter acriter invenitur Irenæus, contra hos novatores lib. 2. contra hæreses, cap. 48. ex Mat. 24. & Mar. 13. de die illa nemo scit, neque Filius nisi Pater solus, à fortiori concludit quicunque nantur generationes, & relationes plures, quam fides concedit enarrare non sunt compotes sui, ea, quæ inenarrabilia sunt enarrare promittentes in plurali generationes dicit, & relationes dicit plures, quam fides concedit, quoniam Gnosticos suggillat, qui plures generationes, & relationes plures, quam fides docet somniabant in divinis: quibus omnibus evidenter patet, nobis ad certam regulam loquendum necessarium esse, quando de divinis rebus loquimur, ne verborum licentia de rebus impiam gignamus opinionem, ut ait Augustinus, quod non eodem modo contingit, dum nobis loquendum sit de rebus philosophicis, liberis enim verbis loquuntur philosophi: quia nullam offensionem religiosarum aurium pertimescunt; ut optime adnotavit ipse Cherubicus Doctor, nec ad minutias scientiarum humanarum defendendas secundum nostram opinionem possumus aliquid innovare in divinis mysterijs ad libitum nostrum, sed potius ita debemus regulare opiniones philosophicas regulis divinarum mysteriorum, ut si hæ aliquomodo opponantur illis, omnino obijciantur, & expellantur.

Tertio eadem maior ratione Theologica sic 95 probatur, quia omne, quod est temerarium debet omnino fugi, minimeque asseri à viro Catholico; sed omne, quod est ita novum in mysterijs fidei, ut nec contineatur in Sanctis, nec doceatur à Theologis, sed potius pugnet contra receptam sententiam omnium Patrum, & Scholasticorum, est aperte temerarium, tam negative, quam positive: ergo quod est ita novum, est omnino rejiciendum, & fugiendum à viro Catholico, nec potest vlllo modo affirmari ab illo. Maior est evidens, quia propositio temeraria est una ex diabolabilibus secundum fidem: minor est certissima, quia continet ipsam definitionem temeritatis seu potius fabricatur ex definitione propositionis temerariæ, ut patet ex ijs verbis Patris Suarez tom. de fide, disp. 19. sect. 2. num. 20. §. tandem addi potest; ubi secundum communem consensum omnium Theologorum, & Patrum tradens definitionem propositionis temerariæ sic ait: est autem temeritas teste D. Thoma 2. 2. q. 53. art. 3. ad 2. præcipitatio quædam faciendi aliquid sine iudicio, vel regula rationis: hinc ergo propositio temeraria dicitur generaliter, quæ sine rationis regula proferatur, sub regula autem rationis autoritas comprehendenda est, quia de plerisque rebus ratio ipsa dictat multum ex autoritate pendere.

Maxime tamen hoc verum est in materia, de qua tractamus: agimus enim de temeraria propositione in doctrina fidei, vel Theologiæ, quæ in autoritate maxime nititur. Vnde duplex gradus huius propositionis subdistingui potest: nam quædam dici potest positive temeraria, alia privative: positive dico, quando pugnat contra receptam sententiam, vel Patrum, vel Scholasticorum, ita ut omnes, vel fere omnes in illa conveniant, etiamsi non asserant esse certam, sed omnino probabiliorem, aut simpliciter veram; quia tunc vix fieri potest, ut secundum regulam rationis possit aliquis tantæ autoritati opponi, quia non est credibile, tot Patres sine cogente ratione, vel sacro

X x x 3 resti

testimonio in eam sententiam conspirasse, ideoque non potest contraria propositio efficaci ratione nititur: unde cum etiam destituatur auctoritate, & tot Doctoribus opponatur, temeraria positive, & contraria merito censetur. Privative autem voco temerariam propositionem illam, quæ solo proprio iudicio sine sufficiente auctoritate, vel cogente ratione excogitata est. Nam illa etiam deficit à recta regula rationis, & aliquid habet præsumptionis, ac proinde in materia Theologica, & supernaturali non caret temeritate, quamvis minori, quam in priori gradu, scilicet positivo invenitur: sic P. Suarez, sincere, & secundum veritatem agens de hoc negotio: ergo nostra minor est evidens, consequentia autem est manifesta, ut ex terminis patet.

96 Minor prima, & præcipua prioris syllogismi est certa, nam licet dubitetur inter Theologos, an relationes æqualitatis, &c. sint reales, nihilominus omnes asserunt, relationes ex vi originis, & processionum convenientes divinis personis, ut est paternitas, filio, spiratio activa, & passiva non esse plures, quam quatuor relationes; sic docent ex Theologis Henricus 2. parte summa, art. 5. s. Alexan. 1. p. q. 68. Sanctus Bonavent. in 1. dist. 26. Albertus 1. p. q. 59. membro 2. art. 1. p. 1. ad 2. Scotus Gabriel. Bassol. & reliqui Thomistæ, Caietanus, Capreolus, Ferr. & ceteri, Ex modernis gravissimus, & sapientissimus Pater Didacus Ruiz, hanc veritatem his verbis docet *tom. de Trinit. disp. 18. sect. 4. §. concluditur*, non esse plures, quam quatuor relationes, docent scholasticis; colligitur autem ex Patribus citatis *tom. de Trinit. disp. 16.* nam eorum alij tres tantum relationes personales exprimunt subintelligentes quartam; alij clarius, exprimunt spirationem activam sub nomine Donatoris, nemo tamen ultra quatuor auget numerum relationum; numerum non esse maiorem, probatur primo, quia in Deo non sunt possibiles aliæ relationes, nisi originis; sed in Deo non sunt possibiles originis plures, quam duæ: ergo non sunt possibiles in Deo plures, quam quatuor relationes, sic ille.

97 P. Franciscus Suarez communis huius sæculi magister cognomento pius, & eximius auctoritate sedis Apostolicæ: hanc veritatem tractans sic ait *tom. 1. in 1. præf. 3. lib. 5. de relationibus divinis. cap. 2. num. 1. §.* Quoniam numerus harum relationum ita à nobis præscribendus est, ut nec minor, nec maior esse ostendatur, ideo in primis supponendum est in Deo nullas esse relationes reales ad intra præter eas, quas relationes originis vocamus, &c. & num. 2. in principio, sic ait ex hoc fundamento infertur alia veritas, quam hic ut certam supponimus, videlicet relationes reales divinas non posse esse plures, quam quatuor; ita docet D. Thomas *dicta q. 28. & consentiunt omnes Theologi*; probatur que, quia hæ relationes sunt originis; sed originis, seu processionis intra Deum solum sunt duæ, ut in *lib. 1. ostensum est*; ergo relationes ad summum possunt esse quatuor, & non plures; probatur consequentia: quia ex vnaquaque processione non conflunt, nisi duæ relationes: ergo si processionis sunt tantum duæ, relationes ad summum erunt quatuor: idem docet P. Vasq. *tom. 2. in primam partem disp. 138. c. 2. in principio*, ubi ait, solum dari quatuor relationes originis in divinis, & eodem *tom. disp. 40. cap. 3. in principio capituli*, hæc formalissima verba profert: verum hanc sententiam merito impugnatur Bonaventura eo loco, quia ex illa sequeretur esse

in Deo quinque relationes reales contra scholasticorum communem sententiam; Pater Valent. *tom. 1. disp. 2. de Trinit. q. 2. de relationibus divinis punct. 2.* sic ait: Quatuor sunt relationes reales in divinis secundum originem, ut D. Thomas hic *art. 4. docet*, & alij Theologi, videlicet Paternitas, & Filio, spiratio, & processio id patet; nam duæ sunt tantum originis in divinis, altera per intellectum, quæ generatio dicitur, altera per voluntatem, quæ nominatur spiratio: quælibet autem origo duarum tantum relationum fundamentum est, quatum altera sit relatio principij, altera eius, quod est à principio per originem, & postea sic ait: cum D. Thomas asserimus, tantum esse quatuor relationes reales in divinis. P. Granado *tract. 3. in primam p. disp. 2. per totam* concludit esse tantum quatuor relationes originis in divinis; & num. 3. sic ait; nec propter hanc identitatem realem dicendum est non esse quatuor relationes in divinis; nam communis Doctorum assertum, esse quatuor, licet non sint quatuor res. Pater Floravanti *lib. de Trinit. in notationibus brevibus ad Teoriam. lib. 2. not. 1.* sic ait: de secundo hæ relationes reales sunt tantum quatuor; quia ex qualibet productione oriuntur per se duæ relationes reales producentis ad productum; & producti ad producentem; sed in divinis sunt duæ productiones; & in nota marginali fol. 93. ait, est communis sententia, & idem docet *pag. 151. §. an quatuor tantum sint relationes*, & citat pro ea Sanctum Thomam 1. p. q. 28. art. 4. cum suis, & Egidium d. 2. §. q. 2. Valentiam, & Suarez. Idem docet expresse D. Molina in 1. p. q. 28. art. 4. *disp. 1. §. conclusionem in medio paraphrasi*, ubi sic ait; quare cum in Deo sit duplex tantum processio, ut in superioribus est habitum, vna secundum actionem intellectus, quæ est processio Verbi, & propriissime dicitur generatio; alia secundum actionem voluntatis, secundum quamlibet autem processionem sint duæ relationes reales oppositæ, vna procedentis à principio, altera principij, à quo procedit, sit, ut in Deo sint tantum quatuor relationes reales, & licet ipse Molina in principio, *disp. 1.* sic dicat, quod ad posteriorem vero attinet, videlicet in Deo non esse plures relationes reales, quam quatuor, est controversia, ut *quest. 44.* est examinandum, nihilominus non destruit hoc, quod dicimus, quia in hoc loco non loquitur de relationibus originis (quia de his ait, esse certum esse tantum quatuor) sed potius de alijs relationibus: v.g. æqualitatis, similitudinis, identitatis, &c. de quibus controvertitur inter Doctores, ut supra dixi, an sint reales, vel non; nam de relationibus originis, v.g. Paternitatis, filiationis, processionis, &c. certissimum est sine controversia apud Doctores tantum esse quatuor; quod autem Molina loquatur de relationibus æqualitatis, similitudinis, &c. patet ex ipsis verbis; nam ubi ait non esse plures relationes, quam quatuor, est controversia: citat *q. suam 42.* ubi ait examinandum esse hoc punctum; sed in tota illa, *quest. 42. ab artic. 1. est* hoc punctum; sed in tota illa, *disp. 1.* ubi solum de hoc puncto agit, disputat non de relationibus originis vltimo modo, sed de æqualitate, similitudine, & ceteris: ergo.

Tandem P. Becano affirmat hanc veritatem, ut *per communem tract. 2. de sanctissima Trinit. c. 2. q. 2. per totam*; hos modernos auctores Longius, & solius citavi, quia summa diligentia omne tam antiquum quam novum legemur, atque relegimus, ita ut nihil eos lateat; ergo si tam unanimi consensu asserunt,

Quæst. III. Vtrum relatio sit vtrumque, &c. 719

runt, esse communem sententiam Patrum, & Doctorum non dari, nisi quatuor relationes originis in Divinis, pro certo habendum est, ac proinde qui contrarium docuerit, asserendo non solum dari quatuor relationes reales originis, sed etiam plures, septem aut octo, &c. ita ut duplicem, aut multiplicem relationes paternitatis, filiationis, &c. pro certo habendum est, pugnare aperte talia proferentem contra communem omnium tam Sanctorum, quam Theologorum sententiam.

99 Patres Ecclesiæ, qui hanc veritatem docuerunt, sunt innumeri; inter quos Boëtius lib. de Trin. prope finem, August. serm. 38. de tempore col. 3. vbi, ipsa relatio Spiritus sancti, &c. & lib. 5. de Trin. a cap. 11. usque ad 15. sed præcipue 11. & 12. Anselmus lib. de processione Spiritus sancti, cap. penult. quod incipit. Pater ergo. Item continetur in Concilio Toletano XI in confessione fidei cap. 1. quod idem transcribit Concilium Vvormasense in professione fidei.

Et in Concilio Florentino indicatur, sess. 18. p. 1. modum §. divina substantia, & §. dixi equidem.

100 Cui concordat decretum Eugenij Papæ in litteris vniuersis Nazianzenus etiam oration. 37. quæ est quinta de Theologia, Nysenus, & Basilus; ille quidem lib. de differentiâ essentia, & hypostases, in medio; cum ait: qui spiritum solum dixit, &c. hic epist. 43. ad Gregorium Nyssenum in medio. Athanasius, dialogo 1. de sancta Trinitate contra Anomeum col. 3. ibi nulla differentia, &c. & in quæstionibus de natura Dei, quæ incipiunt, quid est Deus 9. 11. & 12.

101 Aperte colligitur hæc veritas ex Hylario lib. 2. de Trin. inter medium, & finem, Spiritus Sanctus de Patre, &c. Gregorius lib. 30. moral. cap. 5. alias 8. Cyrillo, & alijs, qui videri possunt in Valentia, & Ruiz ad longum: ergo omnes Patres aperte docent, non multiplicari nec dari plures relationes originis, quam quatuor in Divinis: ergo hæc sententia neoterici, quem impugnamus, aperte pugnat cum communi sententia Sanctorum Patrum.

102 Dices, Patres, & Doctores scholasticos solum loqui de relationibus transcendentibus, non de prædicamentibus, transcendentales enim solum sunt quatuor, transcendentales autem, & prædicamentales simul plures sunt, quam quatuor: in quo nihil temeritatis datur.

103 Sed contra manifeste, quia hoc est certum apud omnes, ut iam vidimus supra, omnes relationes reales originis non esse plures, quam quatuor, & nihilominus esse controversum inter Doctores, an tales relationes sint transcendentales, vel prædicamentales: quidam enim asserunt tres relationes paternitatis, filiationis, & processions esse transcendentales: alij autem, & maxima probabilitate asserunt esse prædicamentales, vel ad instar illarum: sic P. Didacus de Ruiz tom. de Trin. disp. 90. sect. 1. num. 4. ibi; prima conclusio sit, persona prima non constituitur plena constitutione per relationem mere transcendentalem: sed præter hanc formalitatem potentialitatis nimirum personæ potentis generare, ut plene constituta sit persona, requiritur actualis relatio ad Filium actu existentem; quæ relatio est ad instar relationis prædicamentalis, ut videbimus sect. 2. in ea autem sectione &c. ait: postrema conclusio, relatio, quæ con-

stituit personam Divinam, accedit ad relationem prædicamentalem; probatur primo, quia relatio constituit personam Divinam; sed non constituit relatio mere transcendentalis, quia relatio pure transcendentalis est ens simpliciter absolutum, quapropter si patris persona constitueretur per relationem transcendentalem aut potentialem, constitueretur per proprietatem simpliciter absolutam: ergo constituit relatio actualis, & quasi prædicamentalis, quia transcendentalis non est proprie relatio: sed merum ens absolutum, &c.

Citat pro sua opinione Scotum in primo dist. 104 28. quæst. 3. §. ad quæst. & quodlibet 4. §. ex dictis duabus. Durandum Gabrielem, Cartusianum, & alios, & minimum de spiratione activa, quod sit relatio prædicamentalis à multis gravissimis authoribus asseritur, & meo videri evidenter probant differentia, quas adducit P. Suarez lib. 5. de Trin. cap. 8. per totum, & præcipue a num. 7. usque ad 12. inclusive, inter spirationem activam, & cæteras relationes divinas: quod etiam dicendum est sine dubio à Neoterico, cum quo pugnamus; nam ipse in Logica disp. 12. de relatione sect. 1. num. 8. ita ait; ultimo tandem relatio alia dicitur transcendentalis, quæ ita est de essentia subiecti, & sect. 3. §. 10. sic ait. Respondeo ergo propterea me dixisse, eam esse relationem transcendentalem quæ est essentialis ad adequate fundamentum, siue possit separari, siue non; alibi ait, constituit rem in suo esse primario.

Atqui relatio spirationis activæ, ut subsect. 105 superiori diximus, non constituit personam in esse personæ, nec adequate est de essentia illius, & potest persona Patris intelligi, saltem nostro modo concipiendi sine illa; quia advenit iam personæ constitutæ: ergo talis relatio secundum hunc autorem, & secundum veritatem non est transcendentalis, sed prædicamentalis.

Ergo ita est illud primum certum, nimirum non dari plures relationes reales originis in divinis, præter quatuor, ut minime dependeat ab opinione posteriori, an videlicet sint prædicamentales, vel transcendentales, quia quod certissimum est, non dependet à dubio, nec firmitas nostræ fidei dependet ab opinionibus: primum enim non dependet à posteriori; atqui cuiusque gradus certitudinis fidei est primum respectu cuiuscunque opinionis, & opinio est secundarium respectu catholicorum: ergo certitudo fidei, cuius oppositum est temeritas, non dependet ab opinionibus: sed ita stabilis debet esse talis veritas ut siue tales dentur, siue non dentur, ipsa stabilis, immobilis, & firma sit sine eo, quod aliquomodo labet, aut innitatur talibus opinionibus, alias si ab illis dependeret conclusio hæc non esset certa de fide: sed opinio; quia conclusio sequitur debiliorem partem præmissarum; sed talis opinio de prædicamentali, vel transcendentali relatione in divinis potest esse præmissa, & est de facto à qua dependet per vos veritas illa, quod non dentur plures, quam quatuor relationes reales originis: ergo hæc non est veritas, nec certitudo fidei, sed opinio, sicut est præmissa opinio, à qua dependet: atqui non est opinio talis veritas: sed potius certitudo fidei quarto gradu certitudinis: ergo non dependet ab illa opinione, an dentur in Deo relationes prædicamentales, vel transcendentales; quare dicendum est absolute non esse plures nisi

nisi quatuor reales relationes siue sint prædicamentales, siue transcendentales. Vnde quando Patres, & Doctores Ecclesiæ asserunt, dari tantum quatuor relationes, & non plures vtuntur terminis vniuersalissimis excludentibus omnes alias relationes tam prædicamentales, quam transcendentales, nam terminus ille, plures relationes reales non alligantur ad significandum solum relationes transcendentales, sed potius extenduntur ad omnem, & quancunque relationem realem: ergo si ipsi per tales terminos excludunt omnes alias præter quatuor, signum evidens est non solum excludere alias transcendentales, sed etiam omnes alias prædicamentales.

107 Confirmatur, quia illa propositio vniuersalis, in Deo sunt tantum quatuor relationes reales originis, quia exclusiua est, duas habet exponentes: prima est, in Deo sunt quatuor relationes reales originis: secunda est, in Deo non sunt plures relationes reales originis, vbi terminus ille relationes reales, idem significat in duabus propositionibus exponentibus: quia ille terminus, qui est in duabus exponentibus, est idem qui erat in illa propositione exclusiua, vbi eodem modo loquebatur de relationibus realibus vniuersaliter; sed in prima exponente, terminus ille, relationes reales, quando dicitur in Deo, sunt quatuor relationes reales, non solum significat relationes transcendentales, v. g. quæ constituunt personas, sed etiam extenditur significando relationem spirationis activæ, quæ est prædicamentalis: vnde sensus illius propositionis est, in Deo sunt quatuor relationes reales, quarum tres sunt transcendentales, quia constituunt personas, scilicet relatio Paternitatis, Filiationis, &c. & quarta est prædicamentalis, quia non constituit personam: itaque in prima propositione terminus ille, relationes reales affirmat de Deo non solum transcendentales relationes, sed etiam prædicamentalem: ergo in secunda exponente idem terminus, relationes reales, excludit omnes alias, præter quatuor siue sint transcendentales, siue prædicamentales: siquidem idem excluditur in secunda in maiori numero, quod affirmatur in prima in numero quaternario; sed in numero quaternario affirmatur non solum relatio transcendentalis, sed etiam prædicamentalis: ergo in secunda excluduntur in maiori numero, quam quaternario omnes alie relationes, siue prædicamentales, siue transcendentales: ergo evidenter convincitur falsam esse sententiam adversariorum dicentium, per illam propositionem vniuersalem exclusivam solum excludere Doctores plures alias relationes transcendentales, non prædicamentales: alias si hoc esset verum, dividerentur sine dubio Doctores, ita vt qui docerent non dari relationes prædicamentales in Deo, assererent tantum esse quatuor; & qui affirmarent, dari relationes prædicamentales, dicerent non solum dari in Deo quatuor, sed etiam plures relationes reales originis: atqui in exclusiua vniuersali omnes vniuntur, & vniuersali consensu asserunt sine controversia, quatuor, & non plures dari relationes originis in Deo, etiam si dividantur in hoc, an sint prædicamentales, vel transcendentales: ergo signum evidens est, quod ipsi ita asserant dari quatuor relationes solum, & non plures, vt hoc non dependeat ab opinione de prædicamentali, vel transcendentali relatione, sed potius pro certissimo haberi ab illis dari solum

quatuor relationes reales originis; siue dentur, vel non dentur, dicantur vel non dicantur transcendentales, aut prædicamentales.

Secundo contra; & demus per impossibile, quod isti authores non se opponant positive communi sensui Doctorum, ac proinde liberentur à novitate in primo gradu, certe non possunt liberari à secundo gradu novitatis qui privative talis dicitur à Patre Suarez. Nam certe nullus hucusque Doctor ausus est asserere, dari plures quam quatuor relationes originis in Deo reales duplicem filiationem, in tertia duplicem spirationem passivam, seu relationem Spiritus sancti, certe nullus: ergo nullius Doctoris nititur authoritati, dum talia profert hic author, & talia introducit in mysterium Trinitatis. Tandem demus quod liberetur à novitate dicta quoad rem ipsam, certe non potest liberari à novitate in modo loquendi, inquam acriter invehuntur sancti Patres, vt patet ex locis à nobis supra citatis: ergo talis sententia omnino est fugienda.

SUBSECTIO VI.

Alijs inconvenientibus refellitur eadem solutio.

PRIMO, quia Paternitas in Divinis nullo modo realiter distinguitur à persona Patris tantum res à re; sed si daretur in Patre Paternitas prædicamentalis, vt ab adversarijs ponitur, talis Paternitas distingueretur realiter à persona Patris tanquam res à re distinctione includentis ab inclusio: ergo talis Paternitas non est danda in Divinis, hæc minor sic demonstratur: quia id quod resultat vel componitur ex duabus absolute, ac simpliciter rebus distinguitur à quacunque seorsim realiter distinctione includentis ab inclusio, vt videre est in homine qui distinguitur à materia prima realiter distinctione includentis ab inclusio, quia componitur ex materia, & forma realiter distinctis, dicendo realitatem formæ vltra realitatem materiæ, & includit materiam addendo præter illam formam; sed per vos Paternitas prædicamentalis non solum dicit personam primam Patris, sed etiam simul Personam Filij realiter distinctam à Persona Patris, ita vt talis Paternitas formaliter sit idem, quod Persona Patris, ad formalissimam constitutionem personam Patris, addendo vltra illam personam Filij realiter distinctam à persona Patris: ergo talis Paternitas distinguitur realiter à persona Patris distinctione includentis ab inclusio. Maior est certa secundum nostram fidem, quod docet P. Valquez, tom. 1. in 1. p. disp. 1. § 8. cap. 2. vbi absolute dicit sola ratione Paternitas à Patre distinguitur, & supponit nullam in hoc dubitationem reperiri secundum illam locum D. Hieronymi in expof. fidei ad Galum locum D. Hieronymi in expof. fidei ad Sabellum; vbi ait, ita etiam impietatem Sabelli declinantes, &c. quod etiam docet Pater Ruiz. disp. 46. sect. 4. num. 7. fol. 403. idem P. Suarez lib. 5. de relationibus Divinis: quod adeo verum est, vt licet Scotus doceat, relationem Paternitatis distinguere ex natura rei formaliter à persona Patris, nihilominus nullus hucusque ausus est dicere, relationem

Quaest. III. Vtrum relatio sit vtrumque, & c. 72 1

nem Paternitatis divinae distingui realiter absolute, ac simpliciter distinctione includentis ab inclusio ab ipsa persona.

Et patet manifeste ex Concilio Florentino, 26. 19. *col. 201.* ubi tres disputatores, Ioannes, Marcus, & Beilaton tacite approbante Concilio in eo conveniunt, quod Patris persona non nisi ratione ab ipsa Paternitate, substantiaque differt; cum ab alijs duabus personis re quoque differat; ita Ioannes, §. in patre, & paulo inferius, §. ex tuo sermone, idem asserit; quod idem evidenter colligitur ex tota praecedenti sef. 18. praecipue post medium §. divina substantia, & §. dixi eundem, & sequentibus. In quibus omnibus distinctio rationis solum ponitur, & minime realis inter relationem, & personam, cuius relatio est, & idem est inter essentialitatem, & ipsam relationem. Idem docet Damascenus lib. 1. fidei, cap. 10. §. unumquemque, usque ad illa verba, atque perfectam credamus. Item Sanctus Marcialis cognomento Apostolus, & contemporaneus Apostolorum episcopus ad Burdegalenses, c. 10. sine ab illis verbis, hac in personis tri. Idem docet Nazian. orat. 25. ad Arrianos, & orat. 37. quae est 5. de Theolog. quibus similia dixerat orat. 13. quae est 2. de pace. Athan. in orat. contra Gregales Sabellii. Iulianus 9. 17. ad orthodoxos; ab illis verbis, divinarum consensientiarum, & Hilarius lib. 2. de Trinit. col. 2. Ambrosius in symb. Apostol. cap. 2. ad finem, ab illis verbis, Sabellius usque ad illa transfunditur. Tandem Cyrillus lib. 1. Thef. c. 6. post medium.

110 Verge, nam pro certissimo habetur à Theologis nullam relationem distingui realiter distinctione absolute, ac simpliciter reali à persona quam constituit, vel cuius relatio est. Nam ipsi secundum definitionem Concilij Remensis contra Gilbertum Porretanum absolute docent, nullam relationem realem realiter distingui à divinitate; quod adeo verum est, ut sententiam Scoti dicentis, relationem ex natura rei formaliter distingui à divinitate, omnes, praeter Scotistas improbabilem iudicent, P. Vasq. haereticam nominet, P. Molina errorem, P. Didacus de Ruiz temerariam: ergo à fortiori non potest distingui realiter ab ipsa persona Patris: quia minus distinguitur Paternitas à Patre, v. g. concretum ab abstracto, quam abstractum Paternitatis à divinitate, & ideo omnes Thomistae fatentur magis differre per intellectum relationem ab essentiali, essentiali ab attributis, & attributa inter se, quam differat relatio à persona, ut Paternitas à Patre,

111 P. Vasquez tom. 2. in 1. p. disp. 121. c. 5. num. 18. in medio, sic ait: fateor igitur inter relationem & personam, concretum, & abstractum minorem esse in Deo distinctionem, quam inter essentialitatem, & relationem, & c. quod ut commune omnium asseritur: ergo si relatio non distinguitur realiter vlllo modo à divinitate, nullo modo distinguetur à fortiori ab ipsa persona, & hac veritas, videlicet, quod Paternitas non distinguatur realiter à Patre, virtute definita est in Concilio Remensi contra Gilbertum Porretanum asserentem relationes distingui realiter à Divinitate: Vnde sine dubio etiam definit virtualiter, imo à fortiori non distingui realiter absolute à persona relata, v. g. Paternitatem à Patre, filiationem à Filio, spirationem ab Spiritu sancto propter rationem iam dictam: ergo nullo modo potest dici, relationem Paternitatis distingui realiter à Patre.

112 Secundo ab inconvenienti sic argumentor: quia per te relatio Paternitatis in Divinis non est sola R. P. Ideph. de Peñafiel, Theol. Schol. Tom. I.

entitas Patris, sed etiam entitas Patris, & Filij: ita ut relatio illa sit quoddam quasi totum compositum, aut coalescens ex Patre, & ex Filio: ergo in Trinitate comparando unam personam cum duabus in esse Patris, vel in esse Filij, maius erunt simul Pater, & Filius, quam solus Pater, vel solus Filius: sed hoc est falsum: ergo Pater in esse Patris, & Paternitas non est totum quasi compositum, & coalescens partim ex ipso Patre, & partim ex ipso Filio: Hec minor aperte traditur in Symbolo Athanasij, ubi sic dicitur: & in hac Trinitate nihil maius, aut minus, quod etiam docuit D. Augustinus lib. 6. de Trinit. cap. 7. his verbis; alioquin minor erit Pater solus, aut Filius solus, quam simul Pater, & Filius; & cap. 28. confirmat idem lib. 15. de Trinit. his verbis: neque aliquid maius dici potest Pater, & Filius simul quam solus Pater, vel solus Filius, cum itaque tantus solus est Pater vel solus Filius, & c. quantus est simul Pater, & Filius: ergo pater solus, aut solus Filius in esse patris, aut Filij, aut in ratione paternitatis, aut filiationis, non est minus, quam Pater, aut Filius simul, nec maius pater, & Filius simul, quam Filius solus, vel pater solus, ac proinde erit falsum oppositum huic veritati. Idem docet sanctus Cyrillus lib. 1. thef. cap. 6. post medium, perfectus inquit & completus Pater est, non solum quia Deus, sed etiam quia pater: unde non pars, nec minus Filius, & Spiritu sancto, quod alibi dixerat his verbis: Deo patre, Filio, & Spiritu sancto sic est quod quilibet eorum stat tam completus, sicut alius.

Consequentia illa prima sic probatur: quia 113 totum est maius sua parte, & pars est minus suo toto, sed per vos pater in esse patris, vel paternitas est totum coalescens ex patre, & Filio simul, ita ut prima persona sit pars talis paternitatis, & Filius sit pars illius: ergo relatio paternitatis est maius, quam pater solum, aut Filius solum; sed Paternitas, ut paternitas est idem formalissime, quod pater, & Filius simul: ergo Pater, & Filius simul sunt maius, quam Pater solum, aut Filius solum in ratione Paternitatis, quod est falsissimum ex supra dictis: ergo Paternitas non est totum coalescens ex patre, & Filio simul, sed solum erit ipsa entitas patris distincta à Filio, relata tamen ad ipsum.

Dices: quando sanctus Athanasius in Symbolo, 114 & D. Augustinus lib. 6. de Trinit. cap. 7. asserunt, Patrem solum non esse minorem patre, & Filio simul, & Patrem, & Filium simul non esse maius quam Patrem solum, aut Filium solum, non loquutum fuisse de relatione paternitatis, aut filiationis, sed de maiori, & minori in substantia, & essentiali, ita ut non probaret D. Augustinus tali loco, patrem, & Filium non esse simul unam relationem paternitatis.

Sed contra manifeste, quia licet in alijs locis 115 dicat D. Augustinus, Patrem, & Filium simul non esse maius, quam patrem solum, aut Filium solum ad probandam eandem essentialitatem esse in uno, ac in alio: v. g. sermone 38. de tempore, prope medium, ibi: neque aliquid maius tres simul dici Pater, & Filius, & Spiritus sanctus, quam unus quaelibet, vel alter, vel Filius, vel Spiritus sanctus: (quod aperte patet ex ratione, quam tribuit sanctus Doctor his verbis) quia eadem natura est in unaquaque persona simul dicta, quae est in tribus personis simul nominatis.

Nihilominus cap. 7. lib. 6. de Trinit. ideo solum 116 ait Patrem, & Filium simul non esse maius, quam
Y y y solus

solus pater est; non quia sint eiusdem essentia; sed potius quia pater, & Filius simul non sunt pater; itaque ad nostrum propositum loquitur solum D. Augustinus in eo capite, & eo modo argumentatur ille, sicut nos, dicens: si pater & Filius simul essent pater, minor esset pater solus, quam pater, & Filius simul; & pater, & Filius simul essent maius, quam pater solum aut Filius solum; verba Augustini sic se habent: [alioquin minor erit pater solus, au Filius solus, quam simul pater, & Filius, quanquam non inveniatur quomodo dici possit aut pater solus, aut Filius solus, cum semper atque inseparabiliter, & ille cum Filio sit, & ille cum Patre non ut ambo sint Pater, aut ambo Filius: sed quia semper in invicem neuter solus, ita solum patrem dicimus Patrem, non quia separatur à Filio: sed quia non simul ambo Pater sunt.]

Ecce quomodo D. August. aperte probat, Patrem non esse minorem Patre, & Filio simul, & dat rationem, quia Pater, & Filius simul ambo non sunt Pater, alias si ambo essent simul Pater, minor esset Pater solus, quam Pater, & Filius simul: unde concludit evidenter D. August. Patrem esse solum Patrem, & non Patrem & Filium simul; sed ne aliquis intelligeret per illum terminum, solum Patrem separari realiter à Filio in hoc sensu, ut Pater aliquando sit sine Filio, & sic solus existat sine eo; explicat se D. Augustinus dicens, non eo sensu se loquutum fuisse, (quia nunquam Pater est sine Filio, siquidem Pater semper refertur ad Filium, sicut Filius semper refertur ad Patrem, ratione cuius possunt esse; sed potius simul sunt semper, sine eo quod unus sit prior duratione & natura, quam alius, quia relativa, & quæ invicem vel ad invicem referuntur, sunt simul natura, & cognitione) sed potius in eo, quo significet in constitutione Patris non esse Filium, ita ut Filius non constituat Patrem in esse Patris, quia Pater in esse Patris per solum Paternitatem simplicem sine ulla compositione partium constituitur in esse Patris, ita ut Filius non sit pars Paternitatis, ratione cuius minime coalescit Paternitas, per quam constituitur Pater ex Patre, & Filio, ac proinde Pater, & Filius simul non sunt Pater, & sic Pater solus est Pater, sicut solus Filius est Filius licet semper existant simul respiciendo se ad invicem: ergo optima est nostra argumentatio contra adversarios; siquidem desumpta est ex D. Augustino, lib. 6. de Trinit. c. 7. ac proinde falsa est solutio adversariorum.

SVBSECTIO VII.

In qua clarissimi verbis D. Augustini refutatur solutio adversariorum.

PEr te relatio Paternitatis in divinis sunt Pater, & Filius coexistentes simul, & sic asseris idem esse formalissime relationem Paternitatis, ac personam generantem, & genitam simul, & ideo asseris, talem relationem prædicamentalem partim intrinsecam esse ab ipso Patre provenientem, & partim extrinsecam à Filio desumptam, ut te ostendisse inquis, in materia de Trinitate; itaque asseris, Patrem adæquate, & totaliter neque tantum esse primam personam, neque

tantum secundam, sed vtrunque simul, ita ut adæquate sit Pater Pater, & Filius simul.

Sed hæc sententia ut iacet expresse refutatur à 118 D. Augustino multis in locis, præcipue lib. 6. de Trinit. coto cap. 2. ibi: [sed si non dicitur in seipso, nisi quod ad Filium dicitur, id est Pater, vel genitor vel principium eius, si etiam gignens ei, quod de se gignit, consequenter principium est quidquid aliud dicitur cum Filio dicitur, vel potius in Filio, sive magnus ea magnitudine, &c.] & paulo post, [Filius vero sicut in se ipso dicitur Filius, quod non cum Patre dicitur: sed ad Patrem, non sic, & in se ipso magnus: sed cum Patre, cuius ipse magnitudo est, sic & sapiens cum Patre dicitur cuius ipse sapientia est; quidquid ergo ad se dicuntur, non dicitur alter sine altero, id est quidquid dicuntur, quod substantiam eorum ostendat, ambo simul dicuntur; si hæc ita sunt, iam ergo nec Deus est Pater sine Filio, nec Filius Deus sine Patre: sed ambo simul Deus, & quod dictum est, in principio erat Verbum, in Patre erat Verbum, intelligitur, quod sequitur, & Verbum erat apud Deum, Verbum quidem solus Filius accipitur non simul Pater, & Filius, tanquam ambo vnum Verbum, sic enim Verbum quomodo imago, non autem Pater, & Filius simul ambo imago: sed Filius solus imago Patris, quemadmodum & Filius, non enim ambo simul Filius; quod vero adiungitur, & Verbum erat apud Deum, multum est ut sic intelligatur Verbum quod solus est Filius, erat apud Deum, quod non solus est Pater, sed Pater, & Filius simul Deus: sed quid mirum si in duabus quibusdam rebus longe inter se diversis potest hoc dici: quid enim tam diversum, quam animus, & corpus: potest tamen dici, animus erat apud hominem, id est in homine, cum animus non sit corpus, homo autem animus simul, & corpus sit, ut etiam quod consequenter scriptum est, & Deus erat Verbum: sic intelligatur, ut Verbum, quod non est Pater, Deus erat simul cum Patre: quomodo ergo Deus de Deo lumen de lumine, non enim simul ambo Deus de Deo: sed solus Filius de Deo, scilicet pater, nec ambo simul lumen de lumine: sed solus Filius de lumine patre; quod si ita est, hoc solum de eis dici non potest, illud de illo, quod simul ambo non sunt: sicut Verbum de Verbo dici non potest, quia non simul ambo Verbum, sed solus Filius, nec imago de imagine, quia non simul ambo imago, nec Filius de Filio, quia non simul ambo Filius, secundum quod dicitur: ego, & pater vnum sumus: vnum sumus enim dictum est, quod ille hoc, & ego secundum essentiam non secundum relativum.]

Sic Augustinus, ubi expresse docet, nullo modo posse dici, quod pater, & Filius simul ambo sint pater: sicut nec potest dici, Verbum, & pater simul sunt Filius, sicut nec Filius, & pater simul sunt Filius, neque imago, & nihilominus ait posse dici: Pater, & Filius simul Deus, Pater & Filius simul sapiens: ut pater ex illis verbis: sic, & sapiens cum Patre dicitur; quidquid ergo ad se dicuntur non dicitur; quidquid ergo ad se dicuntur dicuntur, citur alter sine altero, id est quidquid dicuntur, quod substantiam eorum ostendat, ambo simul dicuntur; si hæc ita sunt iam; ergo nec Deus est Pater sine Filio, nec Filius Deus sine Patre; sed ambo simul Deus, & rationem discernimus triobus, quia ratio Patris, ratio Filij, &c. sunt rationes

Quaest. III. Vtrum relatio sit vtrumque, & c. 723

tiones relativæ, ratio autem Dei, sapientis, magni, &c. non est relativa, sed absoluta, & ideo ait, quidquid ergo ad se dicitur non dicitur alter sine altero; & concludit, docendo expresse hanc differentiam relativæ, & absolutæ esse in causa, ut aliud quod prædicatum dicitur de illis simul, & aliud non dicitur de illis simul, & sic ait: ego, & Pater vnum sumus, vnum sumus enim dictum est secundum essentiam non secundum relativum. Itaque omne illud prædicatum, quod est ad se, vel in ordine ad seipsum, & non respectu alterius, quod est idem, ac esse absolutum, ait posse dici de Patre, & Filio simul, ut omnipotens, magnus, sapiens, &c. non autem posse dici illud prædicatum, quod est respectu alterius, seu relativum; ut patet ex ultimis verbis; sed prædicatum Patris, sive transcendentaliter sive prædicamentaliter est relativum, & non est absolutum vllō modo: ergo sicut transcendentaliter non potest dici, prima & secunda persona simul sunt pater, ita nullo modo poterit dici prædicamentaliter prima, & secunda persona generans, & genitum simul in divinis sunt Pater, quia ubi est eadem ratio formalis, est idem effectus, vel quasi effectus formalis; sed ratio formalis, quare prædicatum Patris transcendentaliter, non sit Pater, & Filius simul, est quia ratio Patris transcendentaliter est relativa, & non absoluta; sed etiam ratio Patris prædicamentaliter est relativa, & non absoluta: ergo ratio Patris non potest dici de Patre, & Filio simul, ac proinde non possumus dicere, prima, & secunda persona simul coexistentes sunt Pater prædicamentaliter.

119 Confirmat amplius D. Augustinus hanc veritatem *lib. 7. de Trinit. cap. 2.* his verbis: [Pater igitur, & Filius simul vna essentia, & vna magnitudo, & vna veritas, & vna sapientia; sed non Pater, & Filius simul ambo vnum Verbum, quia non simul ambo vnus Filius, sicut enim Filius ad Patrem refertur, non ad seipsum dicitur; ita & Verbum ad eum cuius Verbum est refertur, cum dicitur Verbum, eo quippe Filius quo Verbum, & eo Verbum, quo Filius; quoniam igitur Pater, & Filius simul, non vtrique vnus Filius, consequens est, ut Pater, & Filius simul non ambo vnum Verbum, & propterea non eo Verbum quo sapientia; quia Verbum non ad se dicitur, sed tantum relative ad eum cuius Verbum est, sicut Filius ad Patrem, sapientia vero eo quo essentia, & ideo quia vna essentia, vna sapientia, quoniam vero, & Verbum sapientia est, sed non eo Verbum, quo sapientia; Verbum enim relative, sapientia vero absolute, & essentialiter intelligitur: at quod sapientia est, quoniam & ad se dicitur, se ipsa enim sapiens est, etiam essentia demonstratur, & hoc eius esse, quod sapere: unde Pater, & Filius simul vna sapientia, quia vna essentia, quapropter non quia Pater non est Filius, & Filius non est Pater, aut ille ingenuus, ille autem genitus, ideo non vna essentia, quia his nominibus relativa eorum ostenduntur. Vterque autem simul vna sapientia, non autem simul vterque Verbum, aut Filius quia non hoc est esse, quod Verbum esse, aut Filius esse; sicut iam satis ostendimus ista relative dici:] sic D. Augustinus, ubi asserit, Patrem, & Filium simul vnam essentiam, vnam magnitudinem, vnam veritatem, vnam sapientiam, non tamen posse dici, Patrem, & Filium simul Patrem esse, Patrem, & Filium simul aut Verbum esse aut Filium; nam ait D. Augustinus, sapientia dicitur de duabus simul personis, Pater autem non dicitur de illis, quia ratio sapientiæ ab-

soluta est, & ad se ut patet ex illis verbis; at in altero, quod est sapientia, quoniam & ad se dicitur, se ipsa enim sapiens est; unde Pater, & Filius simul vna sapientia: ratio autem Filij, Patris, & Verbi relativa est, ut patet ex illis verbis, sed non Pater, & Filius simul, ambo vnum Verbum, quia non simul ambo vnus Filius: sicut enim Filius ad Patrem refertur, non ad se ipsum dicitur; ita & Verbum ad eum, cuius Verbum est refertur, cum dicitur Verbum; & paulo post, & Verbum, & imago, & Filius intelligatur, & in his omnibus nominibus non ostendatur essentia, quia relative dicuntur. Itaque D. Augustinus omnia prædicata absoluta, seu quæ ad se sunt, sive sint essentialia, ut Deus, sive attributalia, ut sapientia, veritas, & magnitudo, dicit talis esse conditionis, ut vnumquodque ex illis prædicetur de duabus personis simul: v.g. de Patre, & Filio, & ideo vere dicimus, Pater, & Filius simul sunt Deus, Pater & Filius simul sunt magnitudo, sapientia, & veritas.

E contra vero ait, prædicatum relativum, v.g. 120 Pater, Verbum, imago, Filius non posse dici de duabus personis simul quæ adinvicem referuntur per talem relationem, & ideo nullo modo potest dici, inquit cherubicus Doctor, Pater, & Filius simul sunt Pater, Filius & Pater simul sunt Verbum, imago, & Filius, & hoc formalissime, quia prædicatum relativum est, & non absolutum.

Ratio autem à priori huius veritatis Sancti 121 Doctoris sine dubio videtur esse, quia vnum relativum opponitur alteri correlativo, ac proinde distinguitur ab ipso: quia in divinis omnia sunt vnum, ubi non obviat relationis oppositio: atqui vnum oppositum non potest constitui in ratione oppositi per alterum oppositum: ergo vnum relativum in esse relativum non potest constitui per alterum sibi correlativum: atqui Pater in esse Patris est oppositus, & correlativus Filij: ergo in esse Patris non constituitur per Filium, quatenus Filius est: ergo formaliter non est idem Pater, aut Paternitas, quod Pater, & Filius simul coexistentes.

Minor illa sic demonstratur: quia quando ali- 122 quod oppositum constituitur in esse oppositi respectu alicuius non solum constitutum, sed etiam id per quod constituitur in esse oppositi, opponitur illi realiter, cui opponitur constitutum, quod sic patet, quia v.g. albedo constituitur in esse oppositæ realiter per disgregationem visus, non solum ipsa albedo constituta opponitur nigredini realiter, sed etiam ipsa ratio disgregandi visum, & quia tenebræ opponuntur luci non solum tenebræ opponuntur illi, sed etiam carentia lucis, seu privatio, quia tenebræ constituuntur in esse oppositarum lucis per rationem carentiæ lucis, & per privationem talis lucis. Tandem quia homo quatenus homo opponitur realiter suo modo bruto, aut animali irrationali non solum opponitur homo equo aut bruto, sed etiam rationale formaliter, per quod constituitur in esse hominis formaliter; sed idem non potest sibi ipsi realiter opponi, alias à se ipso realiter distingueretur, quia oppositio dicit realem distinctionem: ergo vnum oppositum non potest constituere aliud sibi oppositum: patet hæc consequentia, quia ut iam vidimus, quidquid constituit oppositum respectu alicuius, opponitur illi cui opponitur constitutum; sed per te oppositum B, constituit oppositum A; in esse oppositi respectu ipsius B: ergo non solum A opponitur B, sed etiam B sibi ipsi

Y y y 2 oppo

opponitur: ergo si vnum oppositum constitueret aliud, idem oppositum sibi realiter opponeretur, & à se ipso realiter distingueretur, ac proinde idem simul esset, & non esset oppositum, quod est omnino impossibile ex illo axioma evidentissimo metaphysicæ, impossibile est idem simul esse, & non esse. Tunc sic: omnis Pater, siue transcendentaliter siue prædicamentaliter non est absolutus, sed relativus formaliter respectu Filij, & personæ genitæ; sed omne relativum est oppositum correlativo termino: ergo omnis Pater formaliter ut pater, siue transcendentaliter siue prædicamentaliter est oppositus, siue prædicamentaliter suo Filio, & personæ à se genitæ, qui est terminus correlativus Patris: ergo Pater, aut paternitas, siue prædicamentaliter, siue transcendentaliter sumatur, non constituitur in esse Patris, & Paternitatis per Filium, aut personam genitam à Patre: ergo paternitas, seu Pater formaliter non est Pater, & Filius simul, quia si esset simul uterque, per vnumquemque constitueretur in ratione Patris: v.g. quia homo est corpus, & animus simul in esse hominis constituitur per animum, sicut constituitur per corpus, & quia Verbum, & homo sunt vnus Christus in esse vnus Christi constituitur per Verbum sicut per humanitatem, & ideo dicitur in Symbolo, ita Deus, & homo vnus est Christus.

123 Vergetur hoc, quia relatio spiratoris activi in divinis non est relatio transcendentalis, quia ut supra diximus, neque constituit personam cui advenit, neque est de essentia illius: ergo vel est prædicamentalis, vel alterius rationis, quæ nec sit transcendentalis, nec prædicamentalis; si est prædicamentalis, argumentor sic: hæc relatio non est idem formalissime, quod principium spiritivum, & Spiritus sanctus, hoc est, non est idem formalissime, quod vtrumque extremum correlativum secundum nostram fidem; nam principium spiritivum, v.g. Pater, & Filius quatenus vnum principium Spiritus sancti sunt, formaliter distinguuntur realiter ab Spiritu sancto: ergo non solum relatio transcendentalis non est vtrumque extremum correlativum, sed etiam relatio prædicamentalis in divinis: ergo Paternitas prædicamentalis à te ficta, quæ vere relatio est per te non includet formaliter vtrumque extremum correlativum, neque erit formaliter Pater, & Filius simul coexistentes à paritate rationis inter spirationem activam, & Paternitatem; quia vtrique est relatio prædicamentalis in divinis, vtrique dicit oppositionem cum termino, ac proinde idem effectus, vel quasi effectus formalis, non includendi vtrumque extremum.

124 Si autem non est prædicamentalis, nec transcendentalis, sed media quædam relatio inter vtramque: ergo convenit relatio non transcendentalis, & media cum relatione transcendentali in hoc, quod nulla ex illis est vtrumque extremum correlativum; sed non potest hoc convenire illis propter differentias, quibus inter se differunt; quia v.g. si transcendentali relationi conveniret non esse vtrumque extremum ratione differentia, hoc prædicatum non conveniret relationi non transcendentali, quia cui non convenit differentia, non convenit prædicatum sequentum ad illam formaliter, sicut v.g. quia equo non convenit rationalitas, non potest convenire risibilitas, quæ sequitur formaliter ad rationalitatem. Item, quia

implicat, quod aliquid sit commune duobus ratione differentiarum, per quas maxime differunt, & non conveniunt; sed non esse vtrumque extremum formaliter correlativum, convenit non solum relationi transcendentali, sed etiam relationi non transcendentali: ergo non convenit hoc prædicatum ratione differentia, sed ratione prædicati communis relationi non transcendentali, & transcendentali.

Neque potest dici, convenire hoc relationi transcendentali, non solum ratione differentia, hoc est quia transcendentalis est, sed potius ratione totius coniuncti, scilicet quia relatio transcendentalis est; hoc enim non potest dici, quia alias non conveniret illud prædicatum relationi non transcendentali, quia cui non convenit totum coniunctum, non potest convenire ratio sequuta ad tale coniunctum: ut v.g. quia Christo Domino convenit esse Christum ratione totius coniuncti, Verbi, & humanitatis, tale prædicatum non convenit Petro: quia Petro non convenit esse coniunctum ex Verbo, & humanitate, sicut quia composito ex animo rationali, & corpore convenit, quod sit homo ratione coniuncti, & talis ratio coniuncti non convenit equo, minime convenit equo quod sit homo. Vnde si aliquod prædicatum convenit, non solum huic coniuncto, sed etiam equo, tale prædicatum non convenit huic coniuncto propter rationem coniuncti, quæ non est in equo, sed potius debet convenire illi propter aliquam rationem communem coniuncto, & equo.

Atqui quod relatio non includat vtrumque extremum correlativum convenit non solum relationi transcendentali, sed etiam non transcendentali, ut est spiratio activa, cui non convenit villo modo aut differentia transcendentalis, aut coniunctum ex relatione, & transcendentali: ergo non esse formaliter idem quod vtrumque extremum non convenit relationi transcendentali, neque ratione differentia, neque ratione coniuncti, in quo conveniunt formaliter relatio transcendentalis, & non transcendentalis; sed illud prædicatum non est aliud, nisi ratio relationis ut sic, propter oppositionem quam dicit cum relatione opposita, & cum termino correlativo: ergo ideo convenit illi præcise, quia relatio realis est, & participat communem rationem relationis ut sic, ac proinde quia relationi in communi, seu relationi ut sic convenit non includere vtrumque extremum; sed paternitas relativa, aut relatio paternitatis prædicamentalis est vera, & realis relatio: ergo non includit vtrumque extremum. Pater hæc consequentia: quia quidquid convenit superiori, convenit omni contento sub illo, sed relationi ut sic propter oppositionem, quam habet cum suo termino convenit ut non constituitur formaliter ab ipso, ac proinde ut non includat vtrumque extremum formaliter: ergo relationi prædicamentali, v.g. paternitati, filiationi, &c. convenit propter oppositionem quam habent cum termino, ut non componentur ab illo, aut constituentur formaliter, ratione cuius non poterit dici, Pater, & Filius simul sunt Pater, Filius, & Pater simul sunt Filius prædicando ad invicem filiationem, & Paternitatem, quia huiusmodi prædicatio pugnat cum oppositione relativa, ut inquit Aristoteli in epist. de proc. Spiritus sancti, cap. 2. post medium, ibi hæc sola causa pluralitatis est in Deo, ut Pater, & Filius.

Quaest. III. Vtrum relatio sit vtrumque, &c. 725

Filius, & Spiritus sanctus dici non possint de invicem, sed alij sunt ab invicem; quia praedictis duobus modis est Deus de Deo, &c. & cap. 5. non longe à principio, eadem epist. sic ait, supradicta relationis oppositio, quae ex eo nascitur, quia praedictis duobus modis Deus de Deo est, prohibet Patrem, & Filium, & Spiritum sanctum de invicem dici, & propria singulorum alij attribui.

SUBSECTIO VIII.

In qua amplius confirmantur dicta.

127 **O**Via duae personae simul non sunt una persona in Divinis, & ratio est manifesta: quia personalitas uniuscuiusque est omnino incommunicabilis ceteris; sed relationes v. g. Paternitatis, filiationis, &c. sunt etiam omnino incommunicabiles; relatio enim paternitatis minime est communis Patri, & Filio; sed solum est propria Patri, ut patet ex Anatematis, quos contra Nestorium edidit, Cyrillus Alexandrinus hortante Concilio Ephesino (habetur in 5. tom. eiusdem Concilij, cap. 1. anatematis no. 9.) ibi: unigenitum Dei Verbum omnia praeter solum paternitatem cum Patre aequalia, & communia habens, & Concilium florentinum ex literis unionis Eugenij quarti sic decernit: omnia, quae Patris sunt ipse Pater unigenito Filio suo gignendo dedit, praeter esse Patrem. Et Augustinus 5. de Trin. cap. 14. sic ait, est Filius hoc omnino, quod Pater, non tamen est Pater; idem docet Cyrillus lib. 2. thesauri, cap. 1. ibi, nihil proprium vni est, quod alteri non inest excepta solummodo Patris, & Filij appellatione, ac re: quod adeo verum est, ut pro axiomate in Theologia habeatur, sumpto ex Augustino, qui constanter ubique docet, Patrem, Filium, & Spiritum sanctum esse unum tantum secundum ea omnia, quae absoluta sunt: ceterum quoad ea solummodo, quae relative dicuntur non esse unum, sed tres, nec praedicari de se invicem, ac proinde nec Patrem solum esse Filium, nec Filium, & Patrem simul esse Filium, & verumque non esse unum Verbum, ita docet lib. 5. de Trin. cap. 8. à principio, & cap. 11. à principio; fusius autem lib. 7. cap. 2. & cap. ult. inter medium, & finem, & per epilogum lib. 8. cap. 1. initio, & lib. 11. cap. 10. prope medium. Idem frequenter repetit serm. 38. de tempore, praecipue inter principium, & medium. quam doctrinam recipiunt Magister, & communiter Scholastici in primo dist. 22. capite sciendum, & cap. Deus.

128 **E**rgo duae relationes non sunt una relatio, neque duo relativa sunt unum relativum, ratione cuius paternitas, & Filiatio simul in divinis non sunt paternitas, & Pater, & Filius simul non sunt Pater: sicut Filius, & Pater simul non sunt Filius: ergo paternitas in Divinis non est formaliter idem quod vtrumque extremum correlativum: alias daretur ansa ad confundendas personas, quod prohibuit strictissime Athanasius in Symbolo, illis verbis. Neque substantiam separantes, neque confundentes personas: ergo omnino

est expellenda sententia, quae docet vtramque personam simul esse Patrem, & vtramque personam simul esse Filium.

Deinde, quia Pater per vos, aut Paternitas praedicamentalis est persona generans, & genita simul: sed prima persona Trinitatis per vos est vere Pater tam praedicamentally, quam transcendentally: ergo prima persona est generans, & genita, quod est falsissimum ut docet Athanasius in Symbolo; ibi: Pater à nullo est factus nec creatus, nec genitus: ergo Pater in divinis, aut paternitas nullo modo est viraque persona simul: sed sola prima, quod sic patet: quia relatio praedicamentalis paternitatis fundatur in persona generante, ita ut persona, quae non genuerit, non sit Pater. Unde sola persona generans est Pater: sed sola prima persona in divinis generat Filium: ergo sola prima persona in Divinis est Pater, sive praedicamentally, sive transcendentally.

Maiores illa sic patet ex Athanasio oratione 2. 130 contra Arianos, inter principium, & medium, ibi: quia genuit, Pater est, & Filius, quia aliunde genitus est solus: ergo Pater, Pater, quia solus Pater genuit, sicut solus Filius, Filius; quia solus Filius genitus est: quae verba concordant cum illis, quibus usus est in Symbolo ipse Athanasius ad probandum solum Patrem esse ingentum, & generantem Filium, & Filium solum esse genitum à solo Patre: verba sic se habent, Pater à nullo est factus nec creatus, nec genitus, Filius à Patre solo est, non factus, nec creatus: sed genitus; Spiritus Sanctus à Patre, & Filio non factus, nec creatus, nec genitus; sed procedens.

Similia multoties profert Cyrillus Alexandrinus veluti libris Dialogorum de Trin. & praecipue lib. 2. colum. 2. & lib. 4. colum. 5. dicit, Pater solus quidem, quia solus genuit, & lib. 1. thesauri, c. 5. circa medium, Pater est, quia generat, Filius quia generatur. Nazianzenus orat. 37. de Theologia, vero 5. colum. 5. ex ijs vero ait, quod genitus non sit, & quod genitus, & quod procedat effectum est, ut alius Pater, alius Filius, alius Spiritus sanctus appelletur. Ambrosius lib. 1. de fide ad Grat. cap. 2. circa medium. Filius, inquit, quia genitus ex Patre; idem colligitur ex omnibus fere Patribus asserentibus, propterea Filium esse, vel appellari Verbum, quoniam genitus est, sive conceptus per mentem. Clarius Gregorius Boetius lib. de Trin. prope ad medium, quam ad finem, hoc solo, inquit, differens à Patre Filius, quod ille Pater est, & hic Filius, id est quod ille genuit, & hic natus est, ratione cuius dixit Ambrosius lib. de Incarnationis Dominicae mysterio, c. 9. in medio, ita scribit cum Filium dico generatum significo, cum Patrem quoque dico generasse declaro; eadem reperit Ambrosius 4. de fide ad Gratian. c. 4. cur Filius Pater non est, inquit, quia, & Pater Filius non est, quia non iste generavit, quia nec ille generatus est, nec ideo minus habet Filius, quia Pater non est; dixit enim Filius, omnia quae Pater habet; mea sunt; adeo generatio in paterna proprietate non in iure est potestatis: ergo solus dicitur Pater, quia solus generavit, & Filius dicitur Filius; quia solus genitus est à solo Patre.

Secundo ratione sic probatur, quia relatio paternitatis est relatio originis, interrogo, an sit originis activae, vel passivae; sed non passivae, ut

Y y y 3 fides

fides nostra docet; ergo activa: ergo solum ille dicitur Pater, qui producit ex vi originis activæ per intellectum: sicut solum ille dicitur Filius qui productus est per intellectum: sed producere per intellectum est generare: ergo solum illa persona dicitur Pater, quæ generat; sed sola prima persona generat, & minime generant duæ personæ simul, videlicet Pater, & Filius secundum nostram fidem catholicam: ergo sola prima persona est Pater, & minime sunt Pater, & Filius simul.

¹³³ Vergetur, quia relatio prædicamentalis solum est in eo subiecto, in quo est transcendentalis similis illi: quia ex vi relationis transcendentalis subiectum est capax talis relationis prædicamentalis: sed relatio transcendentalis paternitatis solum est in prima persona, & non in prima, & secunda: ergo relatio prædicamentalis etiam debet esse solum in prima (loquor de paternitate.) Maior probatur: Relatio spiritoris activi est prædicamentalis, & illa non est in principio spirativo, & in Spiritu sancto simul: sed solum in principio spirativo, quia solum principium spirativum producit Spiritum sanctum, & non producit Spiritum sanctum principium spirativum, & ipse Spiritus sanctus simul: ergo relatio prædicamentalis, quæ sequitur ad originem activam solum est in principio activo, ubi datur relatio transcendentalis principij activi, & non simul in principio activo, & termino producti; sed paternitas est relatio prædicamentalis sequuta ad originem activam: ergo solum est in principio activo generante, scilicet in prima persona, & non in generante, & genito simul, ac proinde talis paternitas non erit generans, & genitum simul: sed solum prima persona.

¹³⁴ Tandem sic probatur, quia nullum relativum in Divinis est compositum ex duabus partibus: sed unumquodque relativum est simplex. Vnde Pater in Divinis non coalescit ex duabus partibus, ut docuit Athanasius, *orat. contra gregales Sabelli*, multo propius ad medium, quam ad principium, loquens de Patre, & Filio, ibi: duos autem non bifidos ex duabus partibus: sed duos protus integros, eo quod integer sit, & perfectus Filius ex integro, & perfectio Patre; ubi asserit Athanasius, neque Patrem componi ex duabus partibus in esse Patris, neque Filium; sed potius Patrem esse integrum Patrem, & filium esse integrum filium, ita ut unaquæque persona sit simplicissima sine vlla compositione, ut ait Richardus Victorinus *lib. 3. de Trinit. toto cap. 22.* cuius in fine concludit; in singulis itaque summa simplicitas, & ideo Basil. *homil. 28. contra Sabellian.* plenus est, inquit, Pater, non pars alterius: sed perfectus, & totus in se ipso considerandus; ad quod respiciens Bernardus *epist. 190. ad Innocentium*, ita dissert de summo bono Trinitatis; totum, inquit unum est totum, nec superabundans in tribus, nec imminutum in singulos; sed per vos Pater prædicamentally componitur, & coalescit ex persona genita, & generante: ergo talis Pater non est dandus in divinis: vnde Cyrillus Alexandrinus *lib. 3. thesauri, cap. 4. prope finem*; ita redarguit hæreticos, quomodo Pater omnium rerum principium erit, si non simplex, sed compositus erit; primum enim simpliciter, haudquam compositum esse potest, quia nihil potest ipso præintelligi, à quo componatur, nec vlla diversitas in primo simpliciter est; composita vero

congregationem diversorum simplicium habent, quæ ipsi necessario præintelliguntur: sic ille, cui consonat Ambrosius in Symbolo Apostolorum *cap. 1. post medium*, ibi; compositus esse non potest, cum aliqua eo anteriora existere putare nefas sit.

Vnde sapienter Iustinus *quæst. 129. ad orthodoxos*, 135 qui non habet, inquit, à quo factus sit, nec compositus est; ergo Pater simplicissime est Pater, neque villo modo in ratione Patris compositus debet esse, sicut nec Filius, aut Spiritus sanctus; quod optime docuit Augustinus *lib. 3. contra Maximinum, c. 10. ad finem*, ibi: propter uniuscuiusque relationem; & proprietatem tres personæ sunt, & propter singulorum perfectionem partes unius non sunt, quid clarius, & evidenti ad nostram sententiam demonstrandam: ergo illa est omnino vera, & adversaria omnino falsa, ac proinde reiicienda.

Maioris illius primæ pars est nota: quia simpliciter omnimoda est perfectio quæ formaliter reperitur in Divinis, & in his, quæ formaliter in Deo inveniuntur; vnde compositio vera omnino excludenda est à perfectionibus Divinis; atqui esse relativum, aut relationem est perfectio in Deo: ergo habet omnimodam simplicitatem sine vlla compositione, ratione cuius spiratio activa, quæ est relatio, non componitur à parte rei ex Filiatione, & paternitate, sed potius ut vna simplicissima relatio, identificatur cum paternitate, & Filiatione, ratione cuius Pater, & Filius sunt unum simplex principium Spiritus sancti: bene enim potest in Divinis vna simplicissima entitas identificari cum duabus relationibus realiter distinctis, ut videre est in Divinitate, quæ identificatur simplicissime sine vlla compositione cum paternitate, & filiatione. Ita similiter in nostro casu vna simplicissima relatio spirationis activæ identificatur cum Paternitate, & Filiatione sine vlla compositione.

SECTIO III.

In qua alia argumenta contra adversarios ponuntur.

¹³⁷ Quinto argumentor principaliter, relatio effectus creaturæ ad creatorem non potest formaliter provenire à Deo: ergo talis relatio non includit formaliter terminum, Deum videlicet: proba antecedens, omnis forma, vel quasi forma tribuens aliquem effectum ut quod, debet habere illum in se ut quo, eo modo quo illum tribuit; sed Deo repugnat essentialiter esse effectum creatum ut quo complete, vel incomplete: ergo relatio effectus in creatura tota provenit ab ipsa formaliter, & minime à Deo. Maior est fundamentum adversariorum, quorum sententiam modo impugnamus. Minor, in qua est tota difficultas, adeo certa est, ut oppositum sit absurdissimum; Deus enim essentialiter, adæquate, complete, & totaliter est ens creatum à se independentem, & totaliter est ens creatum à se independentem; ergo repugnat illi omnis ratio effectus creati: ergo neque ut quo, neque ut quod potest esse effectus creatus complete, vel incomplete: ergo relatio, seu denominatio effectus creati in creatura provenit complete ab ipsa creatura: ergo relatio effectus creati complete, & totaliter est in creatura: pater consequentia. In illo est complete alia qua

Quaest. III. Vtrum relatio sit vtrumque, &c. 727

SVBSECTIO I.

*In quamplius oppugnatur sententia ad-
versaria.*

qua forma, à quo complete, & adaequate pro-
venit denominatio totalis formæ; sed denomi-
natio effectus creati provenit complete, & adae-
quate à creatura: ergo forma est complete in
creatura; atqui talis forma est relatio: ergo re-
latio creaturæ complete est in creatura, & com-
plete, totaliter, & adaequate est ens creatum: ergo
non includit Deum.

138 Confirmatur, Petrus ut generat Ioannem, di-
stinguitur ab illo realiter: ergo ut distinguitur ab
illo, dicit relationem generantis ad illum. Ante-
cedens est certissimum, quia inter causam, & ef-
fectum necessario datur distinctio realis; sed Pe-
trus ut generat Ioannem est causa Ioannis: ergo
ut sic distinguitur ab illo, prima consequentia
probat: Petrus in quantum causa Ioannis dicit
relationem causæ ad Ioannem; de hac enim de-
nominatione quaerimus, sed in quantum est causa
Ioannis distinguitur à Ioanne: ergo in quantum
dicit relationem ad illum, distinguitur ab illo:
ergo in quantum dicit talem relationem ad illum
non dicit illum: ergo non includit illum. Ante-
cedens est certum, quia quod distinguitur ab alio
non est illud à quo distinguitur, sed potius dicit
non esse illius: sed non esse alicuius non dicit
in sua constitutione illud aliud cuius non esse
est, sed potius removel à sua constitutione illud
aliud: v. g. quia tenebræ dicunt non esse lucem,
non solum non dicunt talem lucem, sed etiam
removent, & expellunt illam à sua constitutio-
ne, ac proinde lux nullo modo potest constitui-
re formaliter tenebras, & propter eandem ratio-
nem vita non potest constituere mortem, neque
visus cæcitatem, aut è contra.

139 Clarior, quia creatura quatenus creatura est
dicit non esse Deum, omnino excludit à sua con-
stitutione formali Deum, ratione cuius summum
absurdum esset dicere, creaturam quatenus crea-
turam, & in esse creaturæ formaliter constitui à
Deo, Deumque intrare formaliter constitutionem
creaturæ, & ratio est, quia impossibile videtur,
intrare Deum in eam constitutionem, à qua om-
nino removelur; cum talis constitutio, & res
constituta sit non esse Dei; sed causa quatenus
causa, & quatenus relative est ad effectum, distin-
guitur ab effectu: ergo dicit in suo esse non esse
effectum, cuius causa est: ergo removel effectum
à sua constitutione: ergo non includit effec-
tum: ergo falsum est dicere, relationem causæ
ad effectum includere effectum formaliter.

140 Amplius vrgeo hoc in duobus entibus reali-
ter distinctis, quæ ex vi distinctionis, aut propter
distinctionem dicunt relationem ad invicem di-
stinctionis: (nam distingui vnum ab alio non est
conceptus absolutus: sed relativus, ut late probo
in metaphys. disp. de distinctione) atqui ideo vnum
ex illis refertur ad aliud, quia distinguitur ab illo
in actu exercito; sed distingui ab alio est exclu-
dere illud à suo esse: ergo quatenus dicit relatio-
nem ad illud distinctionis, & quatenus relativum
est, excludit illud à suo esse, & sua constitutione;
distingui enim, ut iam dixi, est excludere illud à
quo distinguitur: ergo relativum distinctionis
non est vtrumque extremum, quæ inter se distin-
guuntur.

Sexto principaliter sic argumentor: relatio
essentialiter est esse, seu respectus ad aliud; sed
si relatio non distingueretur à fundamento, &
termino, non esset ad aliud: ergo, &c. probatur
minor. Relatio paternitatis essentialiter, & com-
plete dicit entitatem Patris, & Filij, itavt vtra-
que entitas simul sumpta sit relatio; sed vtraque
entitas simul sumpta non est ad aliud: ergo, &c.
Maior est sententia adversariorum, minor est cer-
tissima, vel dicant adversarij, quod sit illud aliud,
ad quod est relatio adaequate sumpta: quia vel
illud aliud est aliquid distinctum ab entitatibus
Patris, & Filij simul sumptis, & hoc non: quia
alias illud esset terminus, ac proinde esset distin-
ctus adaequate ab ipsa relatione, quod intendi-
mus vel est ipsa entitas Filij præcise in quantum
producta à Patre, & hoc non, quia ipsa entitas est
pars relationis: ergo non est dabile illud aliud, ad
quod sit relatio.

Vrgetur: ergo paternitas non referet, aut ordi-
nabit personam Patris ad Filium, ac proinde tol-
letur formalitas relationis à tota latitudine entis,
quod est falsissimum: sequela sic probatur. Nam si
formalitas relationis est in rerum natura, debet
esse proprie respectus, & ordinatio propria, ac
proinde debet ordinare, & referre subiectum in
quo est: quia relationi convenit esse talem ex vi
proprie definitionis, quæ dicimus relatio est or-
dinatio, seu respectus ad terminum: ergo si tollitur or-
dinatio propria, & respectus proprius, tollitur si-
ne dubio formalitas relationis.

Respondet Hurtado his Verbis, relatio non
ordinat, id est non respicit aliud, tanquam id
à quo pendeat, concedo consequentiam, non
ordinat, id est non comparat, nego consequen-
tiam.

Sed contra primo, quia relatio per te non res-
picit, licet comparet: ergo relatio non est relatio
per te: patet hæc consequentia; quia id, cui non
convenit definitio, non convenit definitum; sed
relationi non convenit respicere terminum, &
ordinari ad illum per modum respectus (quod est
definitio relationis, ut de se patet) per te: ergo non
convenit relationi definitum, id est non erit re-
latio.

Secundo contra: quia tu concedis relationem
comparare ut quo: ergo debet esse comparatio: er-
go debet esse inter duo, quia comparatio compa-
rat vnum extremum cum altero: ergo non est ipsa
extrema comparata per talem comparisonem:
quia id quod est inter duo non sunt ipsa duo; sicut
linea, quia est inter duo indivisibilia, non est ipsa
duo indivisibilia, & quia actio generativa est in-
ter agens & terminum, distinguitur ab illis.

Tandem, quia unio est inter materiam, & for-
mam uniendo materiam cum forma, talis unio
non est materia, & forma simul, sed aliquid di-
stinctum ab illis; sed per te relatio est comparatio,
quæ reperitur inter fundamentum, & terminum
ut fundamentum comparetur cum termino: ergo
non est vtrumque extremum.

Tertio contra, quia propria relatio prædica-
mentalis habet totum suum esse ad terminum, ut
patet

patet ex eius definitione, quia hæc est definitio illius, ac proinde specificatur essentialiter à termino; sed specificatio est in aliquo genere causæ, siue formalis extrinseca, siue finalis: ergo terminus est causa formalis extrinseca, vel finalis relationis: ergo relatio dependet à termino: quia causa est, à qua dependet effectus: ideo enim pater æternus nullo modo est causa Filij: quia nullo modo Filius dependet à Patre, licet producat ab illo, itaque omnis effectus dependet à sua causa eo modo, quo est effectus illius; sed terminus formalis specificativus essentialiter relationis est causa finalis, vel formalis extrinseca relationis: ergo relatio dependet à termino formali, à quo specificatur: ergo falso procedunt adversarij, quando dicunt relationem non dependere à termino.

148 Confirmatur ratio principalis; nam vel duæ albedines per modum vnius formæ faciunt Socratem similem Platoni, & iterum ambæ simul Platonem Socrati, vel è contra vna facit Socratem Platoni similem, & altera Platonem similem Socrati: sed ambæ simul non possunt habere oppositos effectus formales cum sumantur per modum vnius, vt de se patet; nam si habent oppositos effectus formales debent esse oppositæ causæ in causando tales effectus oppositos. Nam causa in tantum est causa in quantum causat effectum; unde si vnum effectum causant duæ causæ, dicuntur causæ per modum vnius, & si vnaqueque ex illis causat distinctum effectum, non per modum vnius causæ: sed potius distinctæ causæ absolute appellantur, vt exemplis manifestis patet; duo enim luminosa si concurrunt ad producendam eandem lucem in pariete, dicuntur concurrere per modum vnius causæ; è contra vero si concurrunt ad producendas distinctas lucas, non dicuntur concurrere per modum vnius causæ, sed solum per modum diversarum; à fortiori autem quando duæ causæ ita se habent, vt vnaqueque producat oppositum effectum, sine dubio dicuntur oppositæ, & distinctæ causæ; & minime per modum vnius causæ nominantur; unde si per potentiam Dei absolutam darentur in eodem subiecto duo effectus formales oppositi, v. g. esse calidum, & esse frigidum vt octo, nullus sanæ mentis posset dicere, tales effectus oppositos inter se oriri à duabus causis formalibus per modum vnius; sed potius sine dubio deberemus dicere, tales effectus formales oppositos oriri ab oppositis causis, vel entitatibus, & minime ab vna causa formali; aut à duabus per modum vnius, etiam si tales effectus oppositi reperiantur in eodem subiecto, vt dixi, quia si cut per accidens est vnitas subiecti respectu illorum effectuum oppositorum, neque villo modo conducit ad hoc vt tales effectus fiant vnum; ita similiter nullius momenti est talis vnitas ad hoc vt tales causæ non sint oppositæ, quatenus causant illos oppositos effectus.

149 Clarius, esse album in vno subiecto, & esse nigrum in alio, quia opponuntur realiter, nullo modo possunt oriri formaliter vel ab vna, & eadem causa formali, vel à duabus per modum vnius causæ formalis concurrentibus, & ratio evidens est, quia effectus oppositi formales causati formaliter in diversis subiectis non possunt oriri ab eadem causa formali, vel à duabus per modum vnius concurrentibus; sed potius neces-

sario vnusquisque effectus oppositus alteri debet totaliter, & adæquate causari ab vna adæquate causa totali distincta, & opposita alteri, & non possunt causari illi effectus quatenus oppositi à duabus simul per modum vnius causæ formalis concurrentibus, sed esse Patrem in Petro, v. g. & esse Filium in Ioanne respectu eiusdem Petri sunt effectus formales relative oppositi: ergo nullo modo possunt causari à duabus entitatibus simul per modum vnius; sed necessario debent causari à duabus completis causis formalibus oppositis inter se realiter; ergo relatio Paternitatis, & relatio Filiationis, quæ in genere causæ formalis constituunt Petrum in esse Patris, & Ioannem in esse Filij respectu eiusdem Petri non possunt esse entitas Petri generantis, & entitas Ioannis geniti per modum vnius simul; sed potius debent esse paternitas solum entitas Petri generans, & Filiatio entitas Ioannis genita diuisim, & separatim sumptæ cum oppositione vnius respectu alterius.

Itaque causa Filij non possunt esse simul per modum vnius causa Patris, & causa filij, neque constitutionem paternitatis, quæ est causa adæquate Patris in Petro potest ingredi entitas genita Ioannis, quæ est causa Filij in ipso Ioanne, neque possunt simul entitas Petri, & entitas Ioannis concurrere per modum vnius ad causandum in Ioanne esse Filij, & eadem ipsæ simul concurrere per modum vnius ad causandum in Petro esse Patris respectu Ioannis, quia esse Patris in Petro respectu Ioannis, & esse filij in Ioanne respectu eiusdem Petri sunt duo effectus formales oppositi inter se vera, & propria oppositione relativa, & duo effectus formales oppositi vera oppositione non possunt oriri ab eadem causa coalescente ex duobus per modum vnius: quis enim potest dicere, esse tenebrosum in aere, & esse lucidum ita causari, vt lux, & tenebræ simul per modum vnius constituent formaliter lucidum, & iterum ipsæ eadem simul tenebræ, & lux per modum vnius causent formaliter esse tenebrosum: certe nullus mentis compos; sicut nullus potest dicere, aquam frigidam in esse frigidæ constituturæ frigiditatem, & calorem per modum vnius, & iterum ipsam frigiditatem, & calorem constituere aut ipsam aquam, aut ignem per modum vnius in esse calidi: ergo relatio Paternitatis, & relatio Filiationis, quæ sunt causæ formales constitutivæ Petri Patris in esse Patris, & Ioannis in esse Filij non possunt esse formaliter entitas Petri, & entitas Ioannis per modum vnius, & idem est de similitudine Petri, & de similitudine Ioannis inter se.

SUBSECTIO II.

Reliqua argumenta ponuntur.

Septimo principaliter sic argumentor, & confirmo amplius dicta: per te relatio nihil aliud est formaliter, & realiter, nisi duo entia absoluta, ita vt à cæteris absolutis distinguatur relatio, seu prædicamentum ad aliquid in eo solum quod vnumquodque ex absolutis entibus seu prædicamentis includat vnam entitatem absolutam duntaxat; v. g. aut substantiam aut quantitatem, aut qualitatem; ens autem relativum, aut prædicamentum ad aliquid necessario requi-

Quæst. III. Vtrum relatio sit vtrumque, &c. 739

rat duo absoluta simul : ergo tria absoluta simul facient aliud distinctum prædicamentum, seu aliud novum genus entis distinctum ab absoluto, & relativo, & quatuor absoluta simul facient aliud novum ens aut prædicamentum distinctum à cæteris: nam sicut se habet vnum ad duo, ita se habent duo ad tria, & tria ad quatuor; sed existentia duorum absolutorum sufficit ad distinguendum novum genus entis per se: ergo tria sufficient ad constituendum aliud genus entis distinctum ab illis, quia sicut coexistentia duorum absolutorum addit supra existentiam vnius absoluti alteram existentiam absolutam, & hæc additio seu coexistentia sufficit ad constituendum distinctum genus entis per se eo modo, quo debet esse in prædicamento, ita coexistentia trium absolutorum addit supra duos alteram existentiam, quæ simul cum illis ductus constituet aliud novum genus entis à paritate rationis, quia non datur maior ratio, quare coexistentia duorum componat genus entis distinctum ab existentia vnius, & non coexistentia trium, quatuor, quinque, sex, mille, &c. unde si hi omnes numeri distincta prædicamenta constituunt, infinita dabuntur prædicamenta, quia dantur infinitæ species distinctæ numerorum, & si non sufficiunt isti numeri, nec numerus binarius sufficeret, & sic à medio tollitur omnis relatio, quod est absurdum vt patet ex dictis *q. superiori conclusionem. 2.*

151 Deinde probatur contra adversarios binarium absolutorum non sufficere ad constituendum prædicamentum omnibus argumentis, quibus in prædicamento quantitatis vñ sumus ad probandum numerum non esse ens per se, eo modo quo est necessarium ad ponendum in prædicamento, quia eodem modo hic, ac ibi vrgent argumenta illic facta.

152 Octavo principaliter sic arguuntur: omnis tendentia realis in terminum petit terminum realiter distinctum ab ipsa tendentia; sed relatio prædicamentalis est tendentia realis ad terminum: ergo relatio prædicamentalis distinguitur à parte rei ab ipso termino, quod non solum verum est de distinctione inadæquata, sed etiam de distinctione adæquata. Maior est certa, quia scientia, intellectus, voluntas, & omnes potentia, & habitus; imo & actiones potentiarum, & habituum distinguuntur à suis obiectis realiter, quia sunt tendentia in illa, quod etiam verum est in actibus reflexis; nam licet verum sit quod intellectus per vnum actum reflectat supra alium, ille actus reflexus distinguitur ab actu, supra quem reflectit, in quo distinguitur reflexio creata ab increata: nam increata reflexio est eiusdem actus supra seipsum, reflexio autem creata est eiusdem actus supra aliud distinctum.

153 Solum videbatur difficile, si consideretur reflexio intellectus supra seipsum: nam intellectus per talem reflexionem tendit ad se, & habet pro obiecto suæ tendentia seipsum.

154 Sed adhuc in hoc casu tendentia distinguitur à termino talis tendentia, & ratio est manifesta, quia quando intellectus per reflexionem tendit in seipsum, tendentia illa, per quam reflexe tendit est actus intellectus, seu cognitio; atqui omnis cognitio creata distinguitur ab intellectu creatore: ergo talis tendentia distinguitur ab ipso intellectu.

155 Dices, relationem transcendentalem, seu humilissimi modi tendentiam distingui à termino: quia *R. P. N. de Penafiel, Theol. Schol. Tom. I.*

transcendentalis est, non vero tendentiam seu relationem prædicamentalem.

156 Sed contra, quia in tali relatione transcendentali, & datur ratio relationis, & datur ratio transcendentis; sed non distinguitur à termino ratione transcendentis, sed ratione relationis ex vi oppositionis, quam habet relatio cum termino: omnia enim in divinis sunt vnum, vbi non obviat relationis oppositio. unde tota distinctio, quæ datur inter relationem, & terminum in Divinis est solum propter oppositionem, quæ datur inter illam, & terminum; atqui relatio prædicamentalis, etiam habet oppositionem cum termino: ergo etiam relatio prædicamentalis distinguitur à termino: unde non potest solum venari distinctio relationis transcendentis à suo termino propter prædicatum transcendentia, sed potius propter rationem relationis, in qua conveniunt relatio transcendentalis, & prædicamentalis, ac proinde sicut conveniunt relatio prædicamentalis, & transcendentalis in ratione formali, propter quam relatio transcendentalis distinguitur à termino, ita etiam debent convenire in effectu, vel quasi effectu formali distinctionis nimirum à termino.

157 Minor illa prima sic probatur, quia divinitas est prædicatum transcendens, & sine dubio ratio entis secundum ipsos adversarios, qui hoc contra Scotum late probant in metaphys., & nihilominus neque ratio entis, quod est de essentia divinitatis distinguitur à parte rei in Patre à Filio, nec in Filio à Patre, & nihilominus in Patre distinguitur realiter relatio paternitatis à Filio: ergo talis relatio ratione transcendentia, aut quia est prædicatum transcendente, non distinguitur à Filio, alias ipsa divinitas distingueretur à Filio, quia etiam est transcendente prædicatum respectu Patris, sicut relatio, quia vbi est eadem ratio formalis, est idem effectus, vel quasi effectus formalis, & quando alicui ratione alicuius prædicati communis convenit aliqua ratio, omnibus convenientibus in tali prædicato convenit illa ratio; atqui divinitati convenienti cum relatione paternitatis in esse transcendentis respectu Patris, non convenit distingui à Filio, vt de se patet: ergo relationi paternitatis non convenit distingui à Filio ex eo quod sit transcendente prædicatum respectu Patris: sed potius ex eo quod quatenus relatio opponitur Filio: unde Patres, & Concilia nullam mentionem facientes de ratione transcendentali in paternitate, totam distinctionem quam habet paternitas à Filio refundunt tanquam in causam vnicam totalem, & adæquatam in oppositionem relativam, quæ intercedit inter paternitatem, & Filium.

158 Quod autem divinitas sit prædicatum transcendente respectu Patris, sicut paternitas, imo magis transcendente sic probatur: Nam divinitas est de essentia Patris, & constituit substantialem Patrem, & est de primo conceptu substantialem Patris non minus ac paternitas, imo secundum probabiliorum opinionem transcendit divinitas ipsam relationem paternitatis (ratione cuius magis transcendentalis potest dici paternitate divinitas) sed paternitas dicitur transcendentalis solum quia substantialiter constituit Patrem, & non est de essentia divinitatis, nec transcendit illam: ergo divinitas non est minus sed magis, vt ita dicam transcendentalis respectu Patris quam paternitas.

Z z z z Vrgetur

- 159 Virgetur amplius, quia intellectio divina habet pro termino, & obiecto primario sui ipsius divinitatem, & est prædicatum transcendente respectu divinitatis, quia in sententia Patris Hurtado cum quo pugnamus, intellectio essentialiter constituit divinitatem, propter quas formalitates talis intellectio inducit utramque rationem habendi nimirum terminum, & prædicatum transcendentalis, in quo convenit omnimodo cum relatione paternitatis quæ etiam habet terminum, & est transcendente prædicatum, & nihilominus intellectio non distinguitur realiter à divinitate, quæ est terminus, & obiectum primarium intellectiois: ergo paternitati non convenit distingui à filio propter illas duas rationes, videlicet, quod sit transcendentalis, & quod habeat filium pro termino, in quibus omnimodo convenit cum intellectu; sed potius propter aliam rationem peculiarem, quæ non reperitur in intellectu respectu filij, & filiationis, quæ non est alia nisi oppositio realis, quæ invenitur in relatione paternitatis respectu filij, & filiationis; atqui hæc ratio oppositionis reperitur in relatione prædicamentali respectu sui termini: ergo relatio etiam prædicamentalis distinguitur à suo termino, sicut transcendentalis.
- 160 Itaque omnis tendentia realis cum relatione, & oppositio reali distinguitur à parte rei à termino talis tendentiæ ratione oppositionis realis, quæ reperitur in tali tendentia: unde omnis intellectio creata, ut diximus, distinguitur realiter à suo termino, & obiecto, ad quod habet realem relationem, & cum quo realiter relative opponitur: nam idem est opponi realiter, ac distingui realiter.
- 161 Ultimo confirmatur, quia in divinis, ut supra diximus, non solum relatio transcendentalis, ut paternitas, Filiatio: sed etiam prædicamentalis, ut spiratio activa, habet oppositionem cum suo termino, ac proinde distinguitur ab illo: ergo in creatis non solum relatio transcendentalis: sed etiam prædicamentalis, distinguitur adæquate à suo termino, quia sicut relatio transcendentalis in creatis participat oppositionem cum suo termino à relatione transcendentali increata, ita etiam relatio prædicamentalis creata participat oppositionem prædicamentalem cum suo termino: sed relatio transcendentalis creata distinguitur adæquate à termino propter oppositionem transcendentelem, quam participat à relatione transcendentali divina: ergo similiter relatio prædicamentalis creata distinguitur adæquate à suo termino propter oppositionem realem prædicamentalem, quam participat à relatione prædicamentali in creata.
- 162 Nono principaliter sic argumentor: si relatio paternitatis est persona generans, & persona genita, sequitur manifeste relationem paternitatis, & relationem filiationis esse idem à parte rei; sed hoc est falsissimum: ergo falsum est id, ex quo hæc falsitas sequitur. Maior sic demonstratur, nam si paternitas est generans, & genitum, relatio filiationis est ipsum genitum, & generans; sed in re ipsa generans, & genitum simul sunt idem, quod genitum, & generans simul, neque distinguuntur realiter: ergo relatio paternitatis, & relatio filiationis sunt idem à parte rei, & non distinguuntur realiter, & in

re: sed solum in modo loquendi; sicut Petrus, & hoc numero compositum physicum non distinguuntur à parte rei, quia sicut Petrus est hæc materia, hæc forma, & hæc unio; ita hoc compositum physicum est hæc unio, hæc forma, & hæc materia; cum autem hæc materia, hæc forma, & hæc unio; & hæc forma, hæc materia sint idem à parte rei sine ulla distinctione in re; sed solum quoad modum loquendi, & enumerandi, cum in prima enumeratione incipiamus à materia, & definamus in unione, & in secunda enumeratione incipiamus ab unione, & definamus in materia, in quo nulla est variatio rerum: sed solum variatio loquutionis, etiam hoc compositum numero, & Petrus solum in modo loquendi distinguuntur, & non in re.

Item hæc sequela conceditur ab adversariis, 163 ut à P. Hurt. *disp. 15. d. relatione sect. 3. num. 10. 6.* Dices 2. Vbi sic ait: ergo idem est Petrum esse similem Paulo, & Paulum esse similem Petros distinguo consequens, idem est à parte rei, concedo consequentiam, quia similitudo utriusque eisdem conceptus includit, in modo autem significandi nego.

Ecce quomodo concedit P. Hurtado duas relationes existentes in duobus extremis, quæ se ad invicem respiciunt, & quæ per illas opponuntur relative, esse idem in re, & solum distinguuntur in modo significandi, & tribuit rationem, quia utraque relatio eisdem conceptus includit, scilicet entitates utriusque extremi: Idem concedit P. Arriaga in *Log. prædicam. de relatione disp. 12. sect. 9. num. 14. §. Dices*, eisdem pene verbis, quibus Hurtado utitur in metaphys. eodem prædicamento; sed paternitas, & filiatio includunt eisdem conceptus in re, videlicet entitates generantis, & geniti: ergo sunt idem à parte rei sine ulla distinctione in re, ac proinde idem erit filiatio, ac paternitas à parte rei, & idem erit esse Patrem, & esse filium à parte rei, & solum dabitur distinctio quoad modum significandi.

Minor prima, & præcipua sic probatur primo 164 in Divinis contra Patrem Arriaga: nam certum est, relationem paternitatis distingui à parte rei à relatione filiationis: sicut spiratio activa distinguitur à parte rei à relatione Spiritus sancti, quod patet ex Concilio Florent. ubi Eugenius quartus in litteris unionis in medio ait: omnia quæ Patris sunt, ipse Pater unigenito filio suo gignendo dedit præter esse Patrem, & Athanasius 4. contra Arrian. colum. 4. ait: eadem dicuntur de filio quæcunque de Patre dicuntur excepto quod Pater non appellatur: ergo ex ijs manifeste colligitur, non esse idem in divinis esse Patrem, & esse filium; sed potius distingui realiter Patrem à filio, & paternitatem à filiatione: quod ut dogma fidei traditur ab omnibus Doctoribus in materia de Trinitate, quod docet Cyrillus Alex. lib. 3. *theowgi*, ibi, nec ut eadem persona modo Pater, modo filius vocetur sicut Sabellius blasphemabat.

Ratione metaphysica sic probatur, quia non 165 est idem esse causam, & esse effectum: sed Pater est idem esse causam, & filius in creatis est effectus Patris: ergo non est idem in re esse Patrem, & esse filium: alias etiam in modo loquendi esset idem, quia modus loquendi si est verus conformatur cum re ipsa, ex eo enim quod

Quaest. III. Vtrum relatio sit vtrumque, &c. 74 I

res est, vel non est propositio dicitur vera, vel falsa: sed per te idem est, esse Patrem, & esse Filium in re ipsa: ergo etiam in modo loquendi erit idem; imo si in modo loquendi vero non est idem, nec in re ipsa erit idem, quod etiam patet ex supradictis.

167 Decimo principaliter sic probatur, quia quando eadem entitas subiecti potest esse sub oppositis formis, & sub carentia illarum, talis entitas distinguitur ab illis formis à parte rei; sed eadem entitas Petri, & eadem entitas Pauli ita se habent, ut Petrus, qui modo est Pater Pauli possit esse Filius illius, & eadem entitas Pauli possit esse Pater respectu Filij, qui nunc est Pater: Itaque entitas, quæ est sub relatione Filiationis opposita paternitati, potest respectu eiusdem esse sub relatione paternitatis opposita filiationi in casu, in quo Petrus qui genuit Paulum ut potuit generetur à Paulo; nam si Paulus, qui nunc est filius Petri ex eo quod genitus est ab illo, genuisset Petrum, esset sine dubio Pater Petri, & Petrus filius eiusdem Pauli: si autem, ut supra diximus Petrus, & Paulus immediate à Deo producti essent, & minime vnus ab alio generatus fuisset, iam Petrus, & Paulus essent sub carentia paternitatis, & filiationis: ergo entitas Petri, & entitas Pauli distinguuntur à paternitate & filiatione. Maior est certitudo: nam optime colligimus, substantiam Petri distinguui à parte rei à frigidityte, & calore, quia substantia Petri, quæ nunc est calida, potest esse frigida, & qui modo est sub frigidityte, potest esse sub calore quæ sunt formæ oppositæ inter se, & potest esse sub carentia vtriusque, & idem est in omnibus oppositis contrariis: ergo subiectum, quod potest esse sub oppositis formis, & sub carentia illarum distinguitur ab illis à parte rei.

168 Minor quoad primam partem sic probatur ex D. Athanasio orat. 2. contra Arrian. multo propius ad medium, quam ad principium; ibi: nec in illis stabilem locum habet persona Patris, & Filij; nam qui filius est, Pater efficitur, filius quidem eius, qui ipsum genuit, Pater autem illius, qui ex ipso genitus est, verum id in diuinitate ita non habet, nec Pater ex Patre originem trahit: unde fit, ut gignat non progeniturum: unde concludit; quapropter in sola deitate proprie Pater est, & filius proprie filius est, & in illis solis consistit, ut Pater semper sit Pater, & filius semper sit filius; sic ille, qui similia scripsit idem Athanasius ad Serapion. in longiori epistola circa medium, & Nazianzenus orat. 35. quæ est 3. de Theolog. & orat. 23. in laudem Hieronimi prope finem; quod etiam patet ex ijs, quæ in ipsa minori posuimus.

169 Secunda pars minoris iam satis probata manet. scilicet 2. subsc. 1. cuius in præfati memini, ut solutionem quandam à P. Arriaga adductam oppugnarem, responsum tradit in Logica, disp. 12. scilicet 7. num. 30. §. fareberis, in fine, his verbis; respondeo non esse adæquatam fundamentum relationis Patris Petrum, & Paulum, sed vtrumque, & generationem ortam à Petro; hæc autem omnia nequeunt existere, quin Petrus sit Pater Pauli: unde à toto fundamento, & termino semper est verum, non posse separari relationem, ideo nec distinguui.

170 Sed contra manifeste: nam ut loco supra citato diximus, generatio non potest esse pars essentialiter constitutiva relationis, ut patet ex adductis eadem subsc. 1. à §. Sed contra, quia vel illa generatio est, vbi quæ ad illa verba perseverare inclusive, R. P. Ildaph. de Penafiel Theol. Schol. Tom. 1.

quod amplius sic probo, quia destructo termino paternitatis, v.g. substantia Pauli genita à Petro, minime est in re ipsa actus Pater Pauli, neque Petrus habet actualem relationem in re ipsa; quia actualis relatio petit terminum actualem, & actus existentem, quod ipse Arriaga his verbis docet eadem disp. 12. scilicet 10. num. 50. §. an relatio petat terminum existentem. Gregorius, quem refert P. Suar. & Hurt. à §. 63. dicit, non requiri eum (nimirum terminum actus existentem) refutat Hurt. à §. 63. ego in hoc puncto de re nullam arbitror posse esse questionem: si enim in nostra sententia similitudo v.g. est vtrique albedo, certum est in re ipsa non dari similitudinem, quando non datur vtrique albedo, ea scilicet quæ est fundamentum, & ea quæ est terminus, idem dico in relatione Patris, mortuo filio, quod si contrarium voluit Gregorius improbabilius loquutus est; verum quoad modum loquendi supra ostendi frequentissime dici, iste est filius talis, etiam si Parens mortuus sit: verba autem, quæ citat se supra dixisse continentur num. 46. quæ sic se habent: ad argumentum ergo respondeo denominationem Patris non esse omnino physicam transacta generatione, sed partim physicam, partim moralem, physicam quatenus requirit aliquam partem physicam; moralem vero quatenus non requirit actus partes omnes physicas, physice enim non existente generatione, sed præterita iam perinde ab omnibus dicitur Pater, ac si actus illum generaret, quo pacto dicimus, Pater Philippi fecit hoc, quantumvis iam sit defunctus: ergo hæc voces, Pater, & Filius non significant semper existere physice, etiam ea, quæ tu partes vocas, quod magis ad modum loquendi pertinet, quam ad rem ipsam; est etiam de hac re exemplum in ipsa denominatione similis, scilicet pissime enim dicimus, Petrus est similis suo Parenti, neque vnquam curamus an aliter, cui eum comparamus, vivat, vel non: ergo cum hoc dicimus, solum contendimus, Petrum habere talem faciem, qualem habuit Parens: sic Arriaga, in quibus aperte ait, entitatem substantialem termini paternitatis ita esse necessarium quoad actualem existentiam, ut sine illo in re ipsa nullo modo possit dari relatio paternitatis, aut maternitatis actualiter, licet in modo loquendi extensione quadam figurata possit dici lato modo Pater, aut mater respectu filij, qui actus non existit sed mortuus est; & idem docet de ipsa entitate fundamenti, imo à fortiori debet dici, quia si Petrus, in quo est paternitas, & qui Pater est, actus non existit, sed mortuus est, nullo modo potest dari actus paternitas in re ipsa, imo nec actus potest denominari Pater, si iam mortuus est, etiam si vivat Paulus, qui genitus fuit ab ipso; unde hæc propositiones non solum quoad rem ipsam, sed etiam quoad modum loquendi sunt falsæ, Petrus, qui non existit actus, sed mortuus est, actus est Pater Pauli, aut actus habet relationem paternitatis ad Paulum.

Itaque in re ipsa nullo modo potest dari actualis relatio, nisi actus existat vtrumque extremum, fundamentum nimirum, & terminus; & ratio est, quam ipse Arriaga tribuit, dicens, relationem includere essentialiter vtrumque extremum, fundamentum nimirum, & terminum: cum autem res non possit esse sine constitutivis essentialibus suis, inde est, quod non possit relatio, v.g. paternitatis, vel esse Patris in re ipsa, vere existere sine filio, qui est terminus talis paternitatis constitutivus essentialiter paternitatis, quod expresse docuit Aug. 5.

Z z z z 2 de

de Trin. cap. 5. ibi; quia Pater non dicitur Pater, nisi ex eo quod est ei filius, & filius non dicitur, nisi ex eo, quod habet Patrem: quia non quisque eorum ad seipsum sed ad invicem, atque ad alterutrum ista dicuntur: sic ille, quibus similia sunt quæ notat Augustinus *serm. 38. de temp. prope medium, & in medio*: quod eleganter docuit Cyrillus *dial. de Trin. lib. 4. colum. 5.* his verbis: & si non est filius existens, genitus, neque Pater esset iuxta rationem congruam, Pater quidem quia genuit; igitur, & simul subsistere, & simul tolli per ambo utrumque verum, & vno subsistente, subsistat omnino, & quod ideo dicitur, & est quod est. Sic Cyrillus, Atanasius etiam 2. orat. contra Arianos. præsertim circa medium, sic ait: opifex quidem dici, & esse poterit, etiam si nondum opera existant, Pater vero nec dici, nec esse poterit, si non sit ei filius, quæ omnia patent manifeste ex 1. Ioan. 2. ibi: omnis qui negat filium, nec Patrem habet, qui confiteatur filium, & Patrem habet; quibus alludens Damascenus 1. de fide, cap. 8. ad medium: Pater inquit, sine filio nequaquam vocabitur, si vero fuit non habens filium, minime fuit Pater, & si postea adeptus est filius, postea effectus est Pater; cum ante id Pater non esset, atque ita mutatus est de non esse Patrem in fieri Patrem.

171 Tandem Concilium generale Sardisen. quæ parte Catholicum, & approbatum est, in epistola ad omnes Episcopos prope finem, sic ait: indubitanter credentes nunquam Patrem sine filio, nec filium sine Patre fuisse, Patrem enim sine filio nominari, nec esse posse est ipsius filij testimonium, quod etiam confirmat Concilium Toletanum vndecimum in professione fidei sub initio, sempiternus quoque est, & filius, quoniam si Pater semper fuit, semper habuit filium. Itaque sine fundamento, & termino actu existentibus nullo modo potest in re existere relatio paternitatis: quia fundamentum, & terminus sunt idem formalissime, ac relatio paternitatis.

172 Tunc si scilicet sine generatione actuali, & actualiter existente datur actu relatio maternitatis vel paternitatis in re, & non solum in modo loquendi: ergo generatio actualis neque est fundamentum, nec terminus relationis, nec aliquod ex extremis, quod identificatur cum relatione maternitatis, aut paternitatis, neque est aliquod constitutum essentialiter relationis actualis: pater hæc consequentia: quia nihil potest esse actuale, & actualiter existere sine his, quæ sunt de essentia illius, aut sine his, cum quibus identificatur à parte rei, ut ex terminis ipsis pater: ideo enim homo non potest esse sine animali, & rationali, quia identificatur cum homine, & sunt de essentia illius. Item Petrus non potest esse sine anima rationali, quia anima rationalis est de essentia Petri. Item per vos non potest esse maternitas, aut paternitas sine filio, nec filiatio sine Patre in re ipsa vere, & realiter, licet aliquando non in rigore, sed quasi per thropum, & lato modo loquendo dicatur filius sine Patre, aut Pater sine filio, quia Filius quatenus est terminus paternitatis est de essentia illius formalissime, & Pater est de essentia filij; cum Pater in re ipsa sit utrumque extremum, sed in re ipsa verè, propriè, ac realiter datur maternitas, & idem est de paternitate sine actuali generatione, ex eo solum quod transivit generatio, & de præterito data est: ergo generatio actualis non est de essentia relationis actualis, neque est aliquod ex extremis, cum quibus identificatur ipsa relatio actuali-

ter, sed solum erit quædam conditio, sine qua non datur relatio paternitatis, aut maternitatis: unde in tua sententia relatio maternitatis, aut paternitatis erit idem quod substantia Patris, & substantia filij.

Sed si Deus produceret has duas substantias 173 immediate, ut potest, sine eo quod vna produceretur ab alia, non darentur paternitas, nec filiatio: ergo paternitas, & filiatio nullo modo identificantur cum substantia Patris, & substantia filij, siquidem in tali casu substantia Patris, & filij darentur sine paternitate, & filiatione, ac proinde separatæ realiter ab illis existerent, sicut de facto existit paternitas, aut maternitas separata realiter à generatione actuali: ergo substantia Patris, & substantia filij distinguuntur realiter à paternitate, & filiatione, & paternitas, & filiatio distinguuntur realiter à substantia Patris, & filij, à quibus possunt realiter separari, & à generatione actuali, à qua de facto separantur paternitas, & filiatio actualiter.

174 Illa minor principalis, quæ est in §. hunc sic, sic demonstratur. Nam Beata Virgo Maria secundum fidem Catholicam est vere, propriè, ac realiter Mater Christi, ac proinde vere, & propriè mater Dei: unde in Beata Virgine vere, propriè, ac realiter datur relatio maternitatis ad Christum; sed nulla datur actualis generatio Virginis circa Christum, sed potius conservatur relatio maternitatis actualiter ex eo quod Beata Virgo genuit Christum, & ex eo quod de præterito fuit generatio, quando Beata Virgo generavit Christum: ergo actualiter datur relatio maternitatis, aut paternitatis sine generatione actuali: Maior patet manifeste, & his verbis traditur à P. Franc. Suarez tom. 2. in 3. p. q. 27. art. 1. disp. 1. sect. 1. §. veritas idem est, B. Virginem vere, ac propriè esse Matrem Dei ut definitum est in Concilio Ephes. & Chalced. & in 6. Synodo ast. 4. & vndecima, & habetur etiam in 7. in Concil. Lat. sub Martino primo can. 3. & in alijs frequentibus; & patet ex Ioan. 1. & erat mater Iesu ibi; & Luca 1. unde hoc mihi, ut veniat mater Domini mei ad me, & cap. 2. Simeon dixit ad Mariam Matrem eius, Math. 1. 2. accipe puerum, & Matrem eius; dicens, similibus testimonijs probaretur, Iosephum fuisse Patrem Christi. Respondetur, hoc ipsum explicare veritatem, tum quia propterea Luca 3. additum est ut putabatur filius Ioseph, quod de Virgine nunquam est dictum, tum etiam, quia de Iosepho nunquam dicitur in Evangelio genuisse Christum; de Virgine autem dicitur concepisse, & peperisse filium.

Hoc etiam confirmat illa frequens appellatio qua Christus in Evangelio filius hominis vocabatur, ut notavit Irenæus lib. 3. contra hæreses. 32. unde Isaia 11. dicitur, egredietur virga de radice Iesse, & flos de radice eius ascendet; sicut et Iesse, & flos de radice eius ascendet; ita Christus go vere prodicitur flos ex arbore, ita Christus ex Virgine, ac proinde vere, propriè, & realiter ex Virgine est mater Dei, cum omni proprietate, & toto rigore loquendo: ut notavit Hieronymus super illum locum, & Leo Papa *serm. 4. de nativitate*; Ambrosius lib. de benedictionibus Patriarch. cap. 4. & lib. 2. de Spiritu sancto cap. 5. Augustinus *serm. 3. de tempore* Chrysost. in psalm. 22. Origenes *serm. 12. in Levit.* Tertulianus lib. 5. contra Marcionem, cap. 8. & lib. contra Iudaos, cap. 9. sic P. Suarez. Ex quibus evidenter colligitur tanquam de fide tenendam maiorem nostram.

Minor illa est etiam clara, quia B. Virgo ex eo 175 est

Quaest. III. Vtrum relatio sit vtrumque, &c. 743

est Mater Dei, non quia actu generet Christum: sed quia genuit illum, vt patet ex D. Greg. lib. 9. *registri epist.* 61. eadem, inquit, Virgo, & ancilla Domini dicitur, & mater; ancilla enim Domini, quia Verbum ante saecula, vnigenitus aequalis est Patri; mater vero, quia in eius viscibus ex sancto Spiritu eiusque carne factus est homo, & infra subdit rationem, quia non prius in vtero Virginis caro concepta est, & postmodum diuinitus venit in carnem: sed statim Verbum factum est caro, mater igitur est Maria, quia hominem genuit, qui simul est Deus, quam rationem tribuunt etiam Basil. Christof. Gregorius Nazianz. *orat.* 51. Irenaeus lib. 3. cap. 27. & 32. Epiphanius lib. 3. *haeres.* 78. Cyrillus homilia 6. contra Nestorium, August. *serm.* 2. de annuntiat. & saepe alias, Leo Papa epist. 83. & 97.

177 Confirmatur ex P. Suarez, vbi supra §. 3. *hinc facile*, vbi sic ait, facile concluditur intentio veritas, B. scilicet Virginem verè, realiter, ac proprie esse matrem Dei; probatur ex dictis, quia Virgo concepit, & peperit Deum: ergo est mater eius. Antecedens constat ex dictis, quia concepit hunc hominem, & hic homo in ipsa conceptione fuit Deus: concepit ergo Deum; vnde, & Scriptura sacra sic aperte loquitur: nam ad Galatas 4. filius Dei hoc sensu dicitur factus ex muliere, & ad Roman. 1. dicitur, factus ex semine David secundum carnem, quo argumento probat P. Suarez Christum esse de praesenti filium Virginis, & Virginem esse de praesenti matrem, non quia actu generet, aut concipiat Christum: sed potius, quia genuit, peperit, & concepit ipsum. Quod etiam patet ex Scriptura, vbi absolute Pater, & mater dicuntur propter generationem de praeterito; vt patet *Proverbior.* cap. 17. 25. ibi ira Patris, Filius stultus, & dolor matris quae genuit eum, & *Hierem.* 2. 26. ibi: & mittam te, & matrem tuam, quae genuit te, in qua nati non es, de quo innumera exempla reperiuntur in Scriptura: ergo vt detur actualis relatio paternitatis, aut maternitatis, non est necesse, vt actu deus generatio: sed sufficit, quod transferat de praeterito.

178 Vergetur, quia secundum veram philosophiam quoties filius vivit, actu dicitur Pater etiam si filius maxime loco distet à Patre, & nihilominus Pater non potest actionem aliquam substantialem exercere in filium à se distantem, non solum naturaliter, quia hoc est certum: sed etiam supernaturaliter secundum probabiliorem opinionem.

179 Deinde, quia secundum veritatem filius producit à Patre in primo instanti solum, & postea toto tempore vitae à solo Deo conservatur perseverante toto tempore vitae in Patris, & filij substantiae relatione paternitatis, & filiationis quod his verbis aperte docuit Gregorius Boëticus lib. de Trinit. prope finem: apud homines exinde Patet, quis dicitur ex quo genuit filium, qui quidem, & tandiu Pater dicitur, quandiu filius eius vivit, vbi gravissimus iste author asserit, toto tempore vitae Patris, & filij, perseverare entitates, & substantias relationum paternitatis, & filiationis ex eo solum, quod Pater de praeterito genuerit filium.

180 Quae omnia clarissime probantur ex *Psal.* 2. vers. 7. ibi, Dominus dixit ad me, filius meus es tu, ego hodie genui te: vbi generationem aeternam Verbi Divini à P. aeterno, & generationem tempo-

ralem Christi secundum quod est homo ex vniionis hypostaticae à Deo de praeterito significatur verbo illo, genui (etiam si in te sit de praesenti, quia P. aeternus non solum ab aeterno: sed etiam in praesenti generat Verbum Divinum) vt denotetur ad rationem filij de praesenti quod requiritur formalissime, & necessario esse generationem de praeterito, licet etiam ad generationem divinam ex eo quod divina sit, & ad filiationem incretam propter rationem incretam, & divinam requiratur, quod sit de praesenti, quod significatur illo adverbio, hodie.

Ergo ad filiationem creatam, & ad maternitatem B. Virginis non est necesse, vt actu detur generatio: sed sufficit, quod praecesserit.

Confirmatur, quia quotiescunque Scriptura loquitur de Patre varijs modis vtitur; nam aliquando dicit solum aliquem fuisse Patrem de praeterito, vt *Genes.* 4. 21. Pater fuit canentium cythara; clarius 1. *Paralip.* 2. 17. cuius Pater fuit Geter. 2. *Paralip.* 2. 14. cuius Pater fuit Tyrius, & 1. *Regum.* 14. 51. Cis fuit Pater Saul, & 1. *Paralip.* 4. 11. Qui fuit Pater Eshon.

Aliquando etiam nominat Patrem de futuro, vt *183 Genes.* 17. 4. crisque Pater multarum gentium, & 1. *Macab.* 2. 65. ipse erit vobis Pater.

Aliquando de praesenti vtitur, vt *Genes.* 9. 18. 184 ipse est Pater Canaan, & 19. 31. Pater noster senex est, & 44. 27. est nobis Pater senex, & *Isaia.* 64. 8. Pater noster es tu, & *Hier.* 2. 27. Pater meus es tu, qua varietate vtitur Scriptura ad significandum proprius modum loquendi de Patre, aut de paternitate: nam qui dicit, actu esse Patrem filij qui mortuus est, improprie loquitur; nam si proprie loqueretur deberet loqui eo modo, quo Scriptura, videlicet Pater fuit, nam ille est proprie actu Pater, non qui actu non habet filium, quem habiturus est, quia iste potius dicitur, erit Pater; sed potius qui actu habet filium: vnde Paternitas actualis non datur actu vere proprie, & realiter (licet abusive, lato modo, & improprie dicatur aliquando Pater respectu filij, qui non est, & filius respectu Patris, qui iam defunctus est, vt patet ex exemplis adductis ab ipso Arriaga) si filius non est actu, aut si substantia Patris non est actu, & nihilominus actu est Pater, & actu est filius, licet actu non sit generatio, vt patet ex iam supra dictis de maternitate Virginis: ergo non eodem modo, & eodem gradu necessitatis requiritur, nec eadem ratione constituit relationem actualem generatio actualis, ac requiruntur, & constituunt ipsam relationem actualem substantia Patris, & substantia filij actualiter existentes, siquidem haec ad actualem relationem constituendam in re ipsa, & non solum in modo latissimo loquendi requiruntur, vt actualiter, & formaliter existentes, & generatio non requiritur actualiter ad actualem constitutionem relationis, & sic actualis, & adaequata relatio paternitatis, & filiationis separatur ab actuali generatione, ac proinde distinguitur adaequate ab ipsa, sicut etiam distinguitur adaequate vtrumque extremum relationis paternitatis substantia nimirum Petri, qui est Pater, & substantia Pauli, qui est filius ab ipsa relatione paternitatis, aut filiationis, quia licet actu non separetur vtrumque extremum dictum à relationibus, potest tamen separari à talibus relationibus, nam idem Petrus, & idem Paulus possent esse, & existere actu, vt supra diximus, si à solo

Deo producerentur immediate, in quibus nulla esset paternitas, aut filiatio, comparando Petrum cum Paulo, & è contra.

SECTIO VLTIMA.

In qua argumenta Adversaria solvuntur.

- 185 **A**D locum ex D. Thoma desumptum respon-
deo, admittendo totum illum, negando tam-
en ex tali loco sequi relationem constitui for-
maliter per terminum, tanquam per partem for-
malem illius, sed solum terminum pertinere ad
relationem ut extrinsecum connotatum, & speci-
ficativum extrinsecum relationis, à quo relatio
adæquate intrinsece distinguitur, & per quem non
distinguitur ab alijs rebus tanquam per consti-
tutum formale intrinsecum, sed solum tan-
quam per extrinsecum essentiale requisitum ad
illam.
- 186 Nam res possunt ab alijs dupliciter distingui,
aut extrinsece, aut intrinsece; hoc est aut tanquam
per connotata aut tanquam per constitutiva for-
maliter; exemplo potentia, & scientia manifeste
convincitur hoc: Nam intellectus dupliciter dis-
tinguitur à voluntate aut per intrinsecam essentia-
lia constitutiva ipsius, hoc est per prædicata es-
sentialia, quibus intrinsece, & formaliter consti-
tuitur, videlicet, quia est potentia perceptiva veri-
tatis, & sic dicimus, intellectus distinguitur à vo-
luntate, quia potest cognoscere obiectum, aut per-
cipere verum; aut per extrinsecum obiectum, & sic
solet dici intellectus non est voluntas, quia intel-
lectus habet pro obiecto verum, voluntas autem
habet pro obiecto bonum, quæ distinctio est per
extrinsecum, & non per intrinsecum; Item Theo-
logia distinguitur à Logica, quia illa importat
Deum, ut obiectum, hæc intellectus operationes,
ut dirigibiles; ecce quomodo has res distinguimus
ab alijs per extrinsecam, etiam si illa non sint partes
constituentes scientias, & potentias, sed solum,
quia pertinent extrinsece ad ipsas; quæ distinctio
etiam in moralibus reperitur, v.g. Hispania Rex
Philippus quartus distinguitur à Duce Sabaudia
aut per tot populos, quos supremo dominio, &
authoritate gubernat, tot parentissima regna, &
imperia, quibus dominatur, & potitur, & quibus
omnibus caret supradictus Sabaudia Dux, quia di-
stinctione sapissime utimur, quia notior, cum per
res tam notas, & omnibus parentes tribuatur, imo
ea communiter solet tribui, ut personæ digno-
cantur.
- 187 Potest etiam distingui Rex Hispania à supra-
dicto Duce per tales, & tales virtutes, & habitus
morales, quos intrinsece affixos habet animo, aut
per talem materiam, formam, & unionem intrin-
sece, & essentialiter constitutivas Regis Hispania
distinctas à materia, forma, & unionem illius Ducis,
& hæc distinctio dicitur intrinseca, quia assigna-
tur, & redditur per intrinsecas partes constitui-
vas rei.
- 188 Ita similiter in nostro casu D. Thomas in opus-
culo citato ad manifestandam naturam relatio-
nis vitur distinctione per extrinsecam, scilicet per
terminum, non tanquam per partem, sed tanquam
per extrinsecum specificativum notissimum om-
nibus, ratione cuius per illum etiam si extrinsece
pertineat ad relationem, & minime constituat for-

maliter intrinsece illam, optime natura relationis
manifestatur, quare Aristoteles docet relationem
esse definendam per suum terminum, non tan-
quam per partem; sed potius tanquam per extrin-
secum, in ordine ad quod specificatur relatio ha-
bendo totum suum esse in ordine ad illud.

Convincitur totum hoc exemplo D. Thomæ; 189
nam sicut totum distinguitur à sua parte, tanquam
id, quod dicit plusquam illa, sic relatio distingui-
tur à suo fundamento, quia relatio connotat ter-
minum à quo specificatur, quem non connotat
fundamentum, ac proinde relatio dicit entitatem
intrinsecam respectus, & entitatem extrinsecam
termini; unde plus dicit relatio, quam fundamen-
tum, saltem extrinsece, licet constitutive intrinse-
ce, neque fundamentum, nec relatio dicant termi-
num; & hæc est genuina explicatio mentis D.
Thomæ.

Quod sic probatur ex illo communi axioma, vi. 190
delicet quod exempla ut sint recta non debeant
esse identitates sed potius debeant habere distin-
ctionem à rebus, quas per talia exempla declara-
mus; sed D. Thomas adducit exemplum totius,
quatenus distinguitur ab una parte per aliam ut
explicet distinctionem relationis à fundamento,
& ait, sicut totum distinguitur à materia per for-
mam, ita relatio distinguitur à fundamento per
terminum: ergo ut exemplum D. Thomæ sit re-
ctum, & non sit identitas, nec in explicatione
committat Angelicus Doctor vitium declarandi
idem per idem, non debet relatio esse totum respec-
tu fundamenti, & termini.

Quod amplius declaratur verbis supra adductis 191
D. Thomæ ex 1. p. ubi comparans relationes divinas
cum creatis ait, in hoc solum distingui vitæque
relationes, quod creatæ distinguuntur à parte rei
à fundamentis, divinæ vero non, & quod in cate-
ris conveniant: sed relatio Divina, v.g. Patris non
componitur ex fundamento, & termino: ergo
etiam creatæ secundum mentem D. Thomæ, quæ
verbis, quæ adducuntur ab adversarijs, solum
ostendit Angelicus Doctor distinctionem rela-
tionis à suo fundamento, non per intrinsecum, sed
per extrinsecum terminum, quia fundamentum
quatenus absolutum nihil extrinsecum connotat,
cum relatio ex eo quod sit entitas respectiva con-
notet terminum.

Ad secundum argumentum nego primam par-
tem antecedentis ut patet ex supradictis. Ad pro-
bationem illius respondeo, argumenta illa evi-
denter esse soluta, & refutata. Ad ultimam ratio-
nem nego maiorem: tactus enim est contingitas
duorum corporum; nam ut bene ait D. Thomas,
tactus est solum coexistentia duorum corporum
in locis immediatis; unde non est relatio, sed de-
nominatio extrinseca, ac proinde non potest dici,
quod tactus sit aliquid, sed potius est ab alio de-
nominante extrinsece, ut partes denominatur dex-
ter à dexteritate hominis, & Petrus denominatur
amatus extrinsece ab amore Ioannis.

Item respondeo in casu in quo concedamus, ta-
ctum esse relationem, talem tactum seu relationem
à parte rei distingui à rebus se tangentibus, quia
non est maior ratio huius relationis, ac ceterarum,
quod nihil reperiamus in hac relatione, quod co-
gat nos asserere contra supradicta, videlicet huius-
modi relationem identificari cum fundamento,
imo potius dicimus, talem relationem à parte rei
resultare, ut modum ex natura rei distinctum à
corporibus

Quaest. IV. Vtrum terminus relationis, & c. 745

corporibus se tangentibus, in quibus resultat illa relatio, habendo pro ratione fundandi approximationem in loco, & pro fundamento quantitatem &c.

QVÆSTIO IV.

Vtrum relatio terminetur ad absolutum, vel ad respectivum formaliter?

SECTIO I.

Sententia adversariorum proponuntur.

PRIMA sententia asserit, omnes relationes mutuas terminari ad relativum formaliter, sic Ferrata, Nyphus, Dese Hifpalensis in 1. distinct. 3. quaest. 1. notab. 3. quos sequitur, & citat P. Rubius in Log. quaest. 7. de Ad aliquid, num. 64.

Probat primo, quia oppositio relativa reperitur inter relativa ut relativa sunt formaliter: ergo mutua relatio includit essentialiter mutua oppositionem relativam: sed mutua oppositio relativa essentialiter includit utramque rationem referendi, & terminandi: ergo utrumque officium exercent relativa per relationes, & non per fundamenta absoluta: omnia constant evidenter, praeter minorem quam non minus evidenter probat, inquit Rubius: mutua oppositio consistit in hoc, quod relativa mutuo se respiciant, & relationes sint rationes mutuo se respiciendi; sed mutuo se respicere est quodlibet respicere aliud, & ab eo respici, & ab eo respici est terminare relationem eius: ergo evidens est, quod in mutua oppositione includatur essentialiter utrumque officium referendi, & terminandi, & ex consequenti quod utrumque exercent relativa per relationes, & non per fundamenta, quia per relationes, & non per fundamenta habent formalem oppositionem.

Praeterea sic videtur: relationes divinae non terminantur ad absolutum, sed ad respectivum: ergo etiam relationes creatae. Antecedens est evidens: nam paternitas terminatur ad terminum a se realiter distinctum, quia eiusdem ad se ipsum nulla datur relatio; sed in divinis nihil absolutum distinguitur realiter a relationibus, nisi altera opposita relatio: ergo in divinis nihil absolutum est terminus relationis, nisi altera relatio opposita: consequentia praecipua sic probatur: quia eadem datur ratio in relationibus divinis, ac datur in creatis quantum pertinet ad rationem referendi, & terminandi: ergo etiam relationes creatae terminantur ad relativum, & non ad absolutum.

Dices, magnum esse discrimen inter relationes creatas, & increatas; nam relationes divinae, quia sunt substantiales, ac substantiales, non habent aliud fundamentum praeter se ipsas, per quod possit unum relativum terminare relationem alterius; relationes vero creatae sunt accidentales, & ideo praesupponunt aliud accidens absolutum, tanquam fundamentum quo medio consurgunt, & per tale fundamentum potest unum relativum terminare alterum.

Sed nec differentia haec aliquid valet, quod ita probat, quia relationem esse subsistentem, aut inhaerentem, seu substantialem, aut accidentalem non pertinet ad rationem formalem relationis, aut relativam sed materiale quid est: relationes vero, aut relativa mutua ex ratione formali talium relationum, & relativorum habent mutuam oppositionem formaliter includentem utramque rationem referendi, & terminandi, quae eadem est in divinis, & creatis: ergo eadem erit ratio terminandi in utrisque; sicut eadem est ratio referendi, quare si ad relativum formaliter terminatur divina, & non ad absolutum, etiam terminabuntur creatae.

Secundo, relationes essentialiter sunt rationes referendi: ergo mutuae relationes mutuo se respiciunt: ergo mutuo se terminant. Probat consequentia: quia non est intelligibile, quod una respiciat alteram, quin ab ea terminetur: ergo non est intelligibile, quod mutuo se respiciant, quin mutuo se terminent; sed nihil habent absolutum, ergo ratio formalis terminandi in eis non est absolutum, sed relativum.

Secunda sententia asserit, omnes relationes mutuas terminari ad absolutum formaliter, & non ad respectivum: ita sentit P. Suarez in metaphys. dist. 47. sect. 16. num. 14. & multi alij, ut Scotus in 1. quem sequuntur omnes Scotistae; ex Thomistis defendunt hanc sententiam Capreolus, & Zonzinas, probatur.

Primo, nam in relationibus non mutuis, videmus relationem unius extremi non terminati formaliter ad relationem alterius: ergo licet in relativis mutuis sit relatio realis in utroque extremo una non tendet in aliam formaliter, sed simul & concomitanter una tendet in subiectum, seu fundamentum alterius, & e converso: probatur haec consequentia, nam si per impossibile in altero extremo impediretur relatio, conservato toto fundamento eius, nihilominus relatio alterius extremi posset ad aliud terminari: ergo signum est, illas duas relationes esse simul per concomitantiam, & non per formalem terminationem unius ad aliam: consequentia est evidens, & antecedens patet: nam quando unum extremum tale est ut non possit fundare relationem, nihilominus est aptum ad terminandum relationem alterius, ut patet in Deo terminante relationem creaturam ut sic, & nullam praedicamentalem fundante: ergo quacunque ratione contingerit, alterum extremum manere cum fundamento, in quo datur opposita relatio, etiam si in se non habeat relationem, nihilominus manebit sufficiens ad terminandam relationem alterius: unde si per intellectus praecisionem separaretur relatio a tali extremo, intelligetur manere aequae sufficiens ad terminandam aliam relationem.

Secundo, quia aut relatio in quantum relatio postulat terminum relativum, aut in quantum relatio mutua; sed neutro modo potest postulare talem terminum: ergo non terminatur per se ad relativum, sed per accidens, & ideo ad absolutum per se. Probat minor, quod non ut relatio, nam si ut relatio peteret terminum relativum, omnis relatio deberet illum habere, & nulla poterit terminari ad absolutum, sed relationes tertij generis terminantur omnes ad absolutum, ut manifestum est: ergo relatio, ut relatio non petit terminum relativum; quod autem eum non petat ut relatio mutua probatur, quia relatio non dicitur

mutua